BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
148
F
56
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VITAE ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT.

VOLUMEN XIII.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE CURATORE.

PISIS MDCCLXXXVII.

EXCUDEBAT ALOYSIUS RAPHAELLIUS

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

Digitized by Google

LEOPOLDO ARCHIDUCI
AUSTRIAE

PETRI LEOPOLDI M. E. D.
FILIO,

ANGELUS FABRONIUS

SI quando Etruria liberalibus ſtudiis floruit, nunc maxime floret. Multa claraque exempla ſunt in domo ipſa et familia Principis, et quae in Te eminent atque elucent ingenii magnitudo, ardor mentis

Google

ad gloriam, et in omnes praeclaras diſciplinas ac praeſertim mathematicas ſingularis amor, vel ignaviſſimos excitare ad laborem & laudem poſſunt. Ea propter litteris conſulendum a nobis quoque pro viribus eſſe putavimus, & dum adlaboramus, ut nota ſit vita illorum, qui in iis excolendis utilem operam poſuerunt, vota Deo immortali facimus, ut Te Fratresque Tuos Juventutis Principes diu incolumes ſervet, quorum ſtudiis, exemplis et providentia fiet, ne noſtra haec praeteritae unquam invideat aetati.

VITAE
ITALORUM
DOCTRINA EXCELLENTIUM
QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT

ANGELUS FABRONIUS

JOSEPHO AZZONIO AUGUSTINIANO
HOMINI SUMMOQUE AUGUSTINIANAE
DISCIPLINAE DOCTORI.

S. P. D.

MUltae sunt quidem artes praeclarae, in quibus excolendis hominum ingenia exerceri solent, et licet difficile sit probatu, quae ceteris praeferenda sit, ea tamen est dignitas et utilitas theologiae, ut summis laudibus efferendos illos esse putemus, qui totos se in exquirendis rerum divinarum caussis atque natura collocarunt. Habet et suas partes nobilissima disciplina, in quas, veluti totidem in membra, divi-

ditur, et qui, ceteris posthabitis, eam exornandam susceperunt, quae ad sacrorum ritus et liturgiam spectat, praeclare et ab iis positam fuisse operam arbitrabimur. Sed hic error, et haec indoctorum quorumdam animis offusa caligo est, pervulgata haec esse, et tanquam levia quaedam vina nihil valent in aqua, sic liturgicorum ista magis gustata, quam potata delectare, nec multis litteris egere eum, qui eadem tractat. Ego quidem sic contendo frustra in ipsis explicandis laborare illum, qui omnem antiquitatem non noverit, qui Graecam et Orientales linguas non didicerit, qui non artem teneat, in qua inest omnis cum subtilitas disserendi, tum veritas judicandi, et qui diu multumque in SS. Patrum et Ecclesiae monumentorum lectione, hoc est in media theologia, non sit versatus, ex quo, quasi quodam sancto augustoque fonte, omnis manare debet oratio. Profecto nisi haec scientia interioribus quibusdam litteris contineretur, non diu magna rerum liturgicarum obscuritas et ignoratio fuisset; cui assignari debent multae disputationes, quae Catholicam Ecclesiam vehementissime et infelicissime turbarunt. Experti id sunt Patres Concilii Florentini, et cum de hujusmo-

Digitized by Google

di rebus inter se controversarentur, non modo per eos lux nulla Graecis ritibus allata est, sed majores obductae fuisse tenebrae videntur: nam quod ad orthodoxum de Eucharistia dogma confirmandum erat opportunissimum, non inutile modo, sed perniciosum judicatum est. Una est Orientalis Ecclesia, una est Occidentalis, unum Deum auctorem omnium suspicit ac veneratur, quamvis suos quaelibet ritus habeat; sed cum hi nihil alicujus momenti contineant, quod antiquitus in sacris faciendis observatum non fuerit, magnum inde colligitur argumentum ab uno fonte, Apostolorum scilicet exemplo et praeceptis, ad omnes Ecclesias illud manasse, rationem et doctrinam fuisse et esse communem, sic ut Ecclesiae, quae precibus quibusdam et ceremoniis differre videntur, re tamen et voluntate mirum in modum consentiant. Quanquam Ecclesia Romana reliquarum prima, ab Apostolorum Principe fundata, summam habeat auctoritatem et dignitatem, et ei singulari quodam jure subjectae maxime fuerint Occidentis Ecclesiae, nunquam tamen primis saeculis ab iis exegit, ut in sacro faciendo eosdem omnino ritus servarent. Itaque, ut a viro summo Joanne Mabillonio observatum, et va-

riis inter se ritualibus libris collatis demonstratum etiam fuit, viguit ritus Ambrosianus in Ecclesia Mediolanensi, Gallicanus in Gallia, Gothicus in Hispania et Gallia Narbonensi, qui precationibus quibusdam inter se differebant. Addi quidem potuerunt multa eo praesertim tempore, quo Ecclesia pace fruebatur, et addita fuisse non negamus ad decorem Domus Dei augendum, sed id superstitiose factum fuisse, nemo nisi per summam temeritatem atque impudentiam calumniabitur. Nihil sane jucundius, ut ex meo sensu judico, nihil utilius harum rerum inquisitione, et comparatione multorum rituum inter se; nulloque non praeconio celebrandum Jo. Bonam Cardinalem putamus, qui edidit duos rerum liturgicarum libros eruditos et laboriosos, in quibus omnia prope, quae in hoc genere optima sunt, accurate collegit, adeo ut illius diligentiam vix quidquam effugerit. Qui antea, ut Josephus Pamelius, idem argumentum tractarunt, etsi multa collegere, quae non mediocre antiquitatibus liturgicis lumen afferunt, longe tamen abfuerunt ab illarum rerum cognitione, in quibus scientia hujusmodi contineri videtur, maxime quia plerique Graecae Ecclesiae disciplinam pro cognita habue-

Digitized by Google

runt, cum ipsis incognita plane esset, non secus ac Syrorum, Aegyptiorum, aliorumque Orientalium populorum. Nam Pamelius parum Graecam linguam noverat: Genebrardus, etsi linguis Orientalibus et Hebraica in primis doctus esset, officia sacra Orientalium nullà viderat; ceteri, qui ante illos fuerunt, ineruditi et creduli scriptores, ne nominari quidem merentur. In eo etiam peccarunt, a quo vitio ne abfuit quidem vir summus Jacobus Goarius e Dominicana familia, qui primus in Graecis ritibus explicandis utilem operam impendit, ut dum liturgiam Apostolicam exponere adlaborarunt, falsis veterum Pontificiarum epistolarum Dionysii, Clementis aliorumque hujusmodi scriptorum testimoniis uterentur, unde multa ad illos reprehendendos atque irridendos arripuerunt Haeretici. Haec omnia artem, doctrinam, ingenium et judicium summum requirunt, et quod his facultatibus abundaverit Bona, et quod instrumenta, quae habuit ad obtinendam adipiscendamque sapientiam, ad hominum utilitatem contulerit, et quod in eo quasi lumen aliquod virtutis veterisque sanctitatis perspicere videmur, ejus vitam historiae monumentis mandare decrevimus, quam tibi nuncupamus uti veteri

amico, et optimarum artium studiis, et praesertim theologica doctrina eruditissimo. Non minus vero tibi hoc munusculum, vir doctissime, gratum fore confido, quod multi hac ipsa in re laboraverint: quippe cum veterem tum vulgatam esse rem videam, dum novi semper scriptores aut in rebus certius aliquid allaturos se, aut scribendi arte ceteros superaturos credant. Vale, et parce jam laboribus, quos in gravissima studia impendere soles, cum satis gloriae vixeris, neque tibi integerrima mente sit verendum, ne, nisi tanquam lumini oleum instilles, praeclara tua sapientia senectute extinguatur. Huic subvenire debemus; quaerit enim auxilium et requiem, eaque propter Ennius equi fortis et victoris senectuti comparabat suam:

Sicut fortis equus spatio, qui saepe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.

Pisis Idib. April. MDCCLXXXVI.

Digitized by Google

Joannes Bona Card.

Sunt qui magnos homines virtute, sunt qui doctrina metiuntur; utrosque summas laudes tribuere oportebit Jo. Bonae, cum facile dijudicari non possit utrum ille doctior an sanctior fuerit. Qui ex nostra mollitie, non ex ipsa virtute de virtutis praestantia et robore judicant, et alienos mores ad suos referunt, leviora fortasse putabunt, quae nos de corporis aflictationibus, de honorum contemptu, de amore solitudinis afferemus. Cum autem exprimere imaginem consuetudinis atque vitae velimus Bonae, nihil videmur debere praetermittere quod pertineat ad eam declarandam; quare dicemus primo de ejus vita privata, deinceps de ea, quam in nobilissimo orbis terrarum theatro, amplissimo decoratus honore degit, postremo de ejus studiis atque editis operibus, quae ad immortalitatem nominis assequendam maxime conducere videntur. Natus is est IV. Id. Octobris an. MDCIX. Monte Regali, urbe subalpinarum nobilissima, patre Jo. Baptista Bo-

Digitized by Google

na, matre Maria Zugania, quorum ille vinculis propinquitatis conjunctus erat cum Francisco Bona Lesdiguerio Comite Stabuli, ut appellant, Galliae, haec si non nobilitate, forma quidem, prudentia, diligentia atque castimonia commendabatur. Quod rei militaris virtutem pater, merens ipse stipendia, praestare ceteris omnibus putabat, unicum masculini sexus filium militiae destinaverat, quare genus educationis erat ejusmodi, ut ille erudiretur maxime laboribus, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando, iisque artibus, quae decent bonos et fortes duces. Sed quae ambitiosus homo inierat consilia, fregit pueri constantia, qui nec precibus, nec minis a proposito deduci potuit nomen dandi Cistercensium Monachorum, quae S. Bernardi dicitur, familiae. Contigit id XIV. Kal. Sextiles an. MDCXXV. et maturandae rei occasionem illi dedit impudentissima femina, quae ejus castimoniae (forma enim erat in adolescentulo et species liberalis) periculum molita fuerat. Tum porro sedulo reputare animo coepit, quae essent susceptae a se vitae rationes atque officia, eaque sic

exequebatur, ut tyro esset veteranis ipsis exemplo et admirationi. Studiorum caussa Romam venit, et cum talis evasisset, qui severiorum et doctiorum laudibus responderet, munus ei demandatum est sacras litteras interpretandi. Sed non linguae solum, verum etiam animi et virtutum excellens magister habebatur, et erat. Moribus enim castissimis atque innocentissimis formam veteris sanctitatis expresserat. Ad suos redire jussus, Praeses renuntiatur patrii coenobii: sed ipse sua studia et otium et requiem antetulit dignitati, eaque propter Augustae Taurinorum quinquennium fuit. Non est credibile quantis hic laboribus se exercuerit, qua de causa periculosum in morbum incidit, ex quo aegre, cum intermitteret nunquam studia doctrinae, convaluit. Post id praeficitur Astensi coenobio, nec nisi injecto peccati metu, ni paruisset, ut praefecturam hanc acciperet, adduci potuit. Hic ita vixit, ut universis Astensibus merito esset carissimus. Quo factum est, ut cum principes quaedam familiae inter se dissiderent, Bonae consiliis et opera ad pristinam concordiam redierint, et

cum dissolute et turpiter nonnulli viverent ; revocare se ad industriam et virtutem coeperint . Paucos post annos remigrare coactus Montem Regalem , quo nobilius coenobium regeret , hunc diem sic universa civitas Astensium prosecuta est, ut lacrimis desiderii futuri dolorem indicaret. Biennium tantummodo fuit in patria. Nam an. MDCLI. cum ad comitia, quae Romae haberi solebant, venisset, summa omnium collegarum voluntate et congratulatione universae familiae praefectus est. Id quidem gravissime tulit. Nam cum esset singulari modestia, obscurari atque pene obrui maluisset; et is nimium inquirens in se, atque ipse se se observans, metuensque ne aliqua in re peccaret, qui ceteris dignitate praestabat, ad inferiores accedere videbatur. Raro pedem domo efferebat, et cum fores cubiculi claudebat, cruciabat se iis afflictationibus, quae Christi sectatoribus esse solent in deliciis, et quas homines voluptatibus dediti nomine calumniantur criminoso. Unus annus additus labori suo calamitas ei videbatur, quapropter effecit, ut omnia removerentur, quae obstare et impedire pote-

rant, quominus ille defunctus jam triennali munere, liber ad suos rediret. Retinere praesertim illum Romae studuit Fabius Chisius Cardinalis, cujus summa erat auctoritas, quique, licet verae amicitiae difficillime reperiantur in iis, qui in honoribus et in republica versantur, adeo diligebat Bonam, ut eum esse diceret, quo careret aegrius. Omni igitur cura vacuus Bona totum se ad rerum divinarum contemplationem contulit, degens in Monasterio Beatae Virginis de Vico. Sed quem locum quietis et tranquillitatis plenissimum fore speraverat, in eo maximas molestias invenit. Subagrestes enim homines, incultoque ingenio, nulla dignitatis, nulla doctrinae habita ratione, eum dure et aspere exceperunt, contemnere, despicere, infra se ducere, pro nihilo putare, et nihil non abjectum atque humile ab eodem exigere. Habuit sane Bona ubi ostentaret praeclaram illam suam patientiam omnemque christianam virtutem. Nemo enim illum tantam insolentiam indignitatemque querentem audivit, et quos neque patientia, neque obsequio, neque moribus humanissimis lenire potuit, facile,

memoria illustria Christi et Sanctorum exempla repetens, pertulit ac paſſus est. Sed instabat tempus ad comitia habenda. Ne Romam de more convenirent Patres obstabat pestilentia. Itaque plerisque placuit rogare Pontificem, ut ei, cui vellet, summam potestatem deferret, additis postulationi nominibus eorum, quos tanto honore dignos arbitrabantur. Sedebat tum ad Catholicae Ecclesiae gubernacula Alexandri VII. nomine ille idem Chisius, qui tot amoris signa Bonae dederat, quique, cum eam voluntatem, quam semper habuit erga eum, retineret, intelligeretque quam ejus industria Romae posset esse illustris, non haesitans respondit, se ex omnibus Bonam eligere, atque imperare ei, ut sine mora ad munus gerendum se conferret. Qui paullo ante Pontifici ipsi negaverat se ab otio et solitudine discessurum, ne munus a Deo assignatum defugisse culperetur, paruit Pontificis voluntati; neque minus ne obstinata recusatio, laboris declinatio videretur, cessit ejusdem auctoritati, qui eum esse voluit a consiliis Urbanarum Decuriarum, quae *Indicis*, *Rituum*, *Propagandae Fidei*, *et S. Officii* appellantur.

Magna erat hominum opinio de illo, magna commendatio doctrinae, et cum valeret etiam eloquentia, et facillime optimeque perspiceret, quid res, quid tempora ferrent, eas dicebat sententias, quibus saepissime assentiebantur reliqui ad unum omnes. Haec expressiora et illustriora erant praeconiis ipsius Pontificis, sic ut omnes intelligerent facillime Bonam amplissimos honores posse obtinere. Sed vir modestia summa solitus despicere ac pro nihilo putare ea, quae vulgo ducuntur amplissima, aucupabatur tempus redeundi ad suos; et postquam triennium praefuit familiae, et Episcopatum Astensem, quem ei Emanuel II. Sabaudiae Dux detulerat, recusavit, abeundi veniam a Pontifice postulavit. Praecise id ei negavit Alexander, qui saepe ipsi gravissima mandata dabat, eo studiosius congressus illius doctissimosque sermones requirens, quo magis ille aulae et inanium rumorum inimicus coenobii sui latebris se se occultabat. Hic tamen non effugit quorumdam invidiam atque calumnias, quas ita tulit, ut nec sibi cavendum, nec quemquam coarguendum putave-

rit. Candide et simpliciter agebat, et in suscepta vitae ratione constanter adeo perseveravit, ut neque fortunae varietas, neque inimicorum injuria potuerit eum unquam de suo statu dimovere. Quae quidem maxime valebant ad conciliandam ei magis magisque Pontificis benevolentiam, qui sive in Urbe esset, sive in Gandulphiano rusticaretur, in sermone et suavitate Bonae omnes curas deponere, et omnino conquiescere videbatur. Accidit eo tempore, ut ad placandum iratum in se Ludovici XIV. Galliarum Regis animum Lutetias Parisiorum fratris filium legare deliberaverit. Qui quidem cum intelligeret quantum ex Bonae consiliis et opera capere ille posset utilitatis, hunc eidem comitem dare decrevit. Hac re Bona audita, aetatem, incommodam valetudinem, ignorantiam rerum politicarum, aliaque hujusmodi multa excusare, atque demum adjurare id se nisi per vim esse facturum. Se exorari sivit Pontifex, et vocem illam edidit; *se neminem novisse, qui magis, quam Bona, ab honoribus et gloria esset alienus.* Nihilo tamen minus de illo in Cardinalium collegium cooptando cogitabat, quod etsi mor-

te impeditus non perfecit, apud omnium tamen animos testatum reliquit, quid de illo sentiret. Ut se periculose aegrotare intellexit, statim Bonam accersiri jussit, ut in eo discrimine praesentem adjutorem haberet. Persolvit Bona carissimo Pontifici omnia pietatis officia, et hac re una solatus est dolorem suum, quem ex illius interitu cepit, quod sperabat fore, ut omni cura laxatus vitam suam solitudini mandare, suisque studiis tranquille vacare posset. Sed Clemens IX., qui in illius locum successit, quique optime noverat, ut erat ingeniorum aestimator acerrimus, Bonae praestantem doctrinam, fueratque et suavis amicus et praeco studiorum illius, nova illi mandata dedit, novoque munere *Consultoris Congregationis Indulgentiarum et Reliquiarum* a se tum primum institutae eumdem auxit. Cum bonitatem et beneficentiam tanti Pontificis laudabat, suam vicem dolebat; ac magis magisque doluit, cum ab eo an. MDCLXIX. III. Kal. Decembres creatus Cardinalis fuisset. " Beatissimus Pon-
" tifex (inquit ipse in sua ad Liturgicos li-
" bros Praefatione) me nihil tale aut me-

» rentem aut cogitantem, a tranquillitate et » pace, quibus in Monasterio perfruebar, re» pente abstractum et avulsum ad fastigium » evexit maximae in Ecclesia dignitatis, cui » cum impar omnino sim, veror ne vox illa » Prophetae ad me pertineat, *elevans allisisti* » *me*. Vixeram in Religione ab anno XV. » aetatis meae usque ad LX. et agnoscens » aliquod signum divinae misericordiae opta» bam mori in nidulo meo, *nec diem hominis* » *desideravi*. Deus scit: nunc autem expul» sus a jucunditate monasticae vitae, rerum » exsteriorum tumultus patior, quibus as» suetus non eram, et omissis genialibus » studiis, ad curas saeculi ejectus sum, a qui» bus maxime abhorrebam ». Invidiosa illa tantoque opere a multis expetita purpura, quam comitari solet regalis luxus, magnus equorum numerus, copiosa familia, lauta, splendida, sumptuosa supellex, sic ut qui ea ornantur, operam dare videantur, non modo re magni ut sint atque clari, sed etiam specie atque pompa, neque ingenium, neque vitae consuetudinem in Bona immutavit. Probitas, affabilitas, et eadem, quae in privato

fuerat

fuerat facilitas atque humanitas elucebat, atque laudabatur ab omnibus, idem cultus, idem victus, eadem instituta ab ipso domi servabantur; et ea, quae pertinebant ad dignitatem, ita moderata erant, ut dijudicari facile posset tribui ista necessitati, et ex hac ipsa non mediocrem molestiam trahere modestissimum hominem. Quantaecumque accessiones factae fuerint Bonae et fortunae et dignitatis, eas sibi vindicasse dixisses pauperes et bonos omnes, quorum utilitati commodisque ita serviebat, ut non alienam, sed suam rem videretur agere. Quod nihil ab eo aberat longius cupiditate divitiarum, et parvo contentus erat, delata plura sacerdotia, atque in his Episcopatum Assisii recusavit, et munera etiam magnae pecuniae repudiavit. Cum aliquando hac de caussa homo legatus a Cardinali Barberinio eum hortaretur accipere, simulque admoneret, si his ipse facile careret, suis tamen prospiceret, huic ille: *nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam*. Haec etiam praeclara vox illius commemoratur: *Ecclesiae bona non sunt ditandis augendisque affinibus, sed alendis paupe-*

ribus destinata. Vir tantarum virtutum comitatu septus oculis et verbis omnium designabatur ad Pontificatum Maximum. Nam non multo post quam ille Cardinalis creatus est, mortem Clemens obivit. Bona sane erat in desiderio civitatis, et multis solebat esse in ore epigramma illud, quod Daugieresius Jesuita composuerat.

Grammaticae leges plerumque Ecclesia spernit,
Forte erit ut liceat dicere Papa Bona.
Vana soloecismi ne te conturbet imago,
Esset Papa bonus, si Bona Papa foret.

Sed cum illae comitiorum undae sic interdum quodam quasi aestu effervescant, ut ad alios accedant, ab aliis recedant, nec semper in optimo consistant, omnes quidem summa dignitate Bonam dignum judicarunt, verum hanc alteri detulerunt, quem praesentibus Christianae reipublicae temporibus, difficillimis et turbulentis illis quidem, magis convenire sunt arbitrati. Ex iis, quae de singulari ejus modestiæ commemoravimus, facile erit conjicere quam sincere Bona remoratus sit studia multorum in se, eaque ad aliorum ho-

norem traduxerit. Narratur etiam cum satis non fuisset consilio pugnare, artificia ab eo excogitata fuisse, quo Collegarum voluntates a se abalienaret. Tum respirare sibi a metu visus est, cum Pontifex Maximus creatus fuit Clemens hujus nominis X. qui mirifice Bonam diligebat cum propter summum ejus ingenium, summamque doctrinam, tum propter singularem modestiam. Quod eminebat ejus in dando consilio prudentia, fides atque religio, multis gravissimisque in rebus a Pontifice ipso adhibitus est, et magna constantia restitit iis, quibus in administranda Christiana republica periculosa et callida consilia quietis et cogitatis et splendidiora et majora videbantur. Idem motus quosdam temerarios Gallorum theologorum (et in Gallia praesertim erant turbulentissimae tempestates, quas odia, dissidia, contentionesque Jansenistarum et Molinistarum excitaverant) prohibuit, multisque auctor fuit, ut praeclaris operibus, non concertationum plenis disputationibus gloriam quaererent. Nihilo tamen minus suspecta erant Jesuitis ejus consilia; neque dubitabo non modo temeritatis, sed et-

Google

iam impudentiae condemnare Decoloniam, qui virum sanctissimum religiosissimumque in Jansenistarum numerum retulit. Verum hoc ei commune fuit cum aliis spectatissimis viris, qui exacuerunt ingenii aciem ad illustranda tuendaque puriora et sanctiora theologiae dogmata. Tanquam id habuerit operis ac muneris Bona, ut praecepta salutis hominibus daret, eosque meliores efficeret, vel a prima adolescentia sedulam operam navavit legendis sacris libris, SS. Patrum operibus, et omni Ecclesiae historiae noscendae, quae adeo sua effecit, ut nil nisi sapientissima oracula fundere videretur. Oderat theologicas disputationes, et pacis semper laudator, semper auctor imposuit sibi istam vim, ut omnino ne liceret cum quoquam dimicare. Quod nihil sanctius, nihil augustius reliquit nobis Christus Missae sacrificio, multa collegit Bona ex SS. Patrum aliorumque scriptis, quae ad illud sancte et pure faciendum pertinebant. Post id scripsit opus *de Divina Psalmodia*, ejusque caussis, mysteriis, disciplina, deque variis Ecclesiarum ritibus, et opus non solum copia eruditionis, sed etiam versibus, imitatus

Boetium, ornavit, idque Romae, Parisiis atque alibi impressum jampridem manibus teritur omnium. Homo, qui SS. Patrum et vetera philosophorum ita percepta habebat praecepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur, quo ceteros deduceret ad mores praeclaros et disciplinam, quam a majoribus accepimus, tres edidit libros, quorum alteri titulum fecit: *Manuductio ad caelum medullam continens SS. Patrum et veterum Philosophorum*, alteri *Via compendii ad Deum*, tertio demum *Principia et documenta vitae Christianae*. Qui blanditiis voluptatum deliniti atque corrupti non vident in quo vera virtus et felicitas consistit, si se doceri et manu duci sinent a Bona, praeclaram bene beateque vivendi, et apertam, et simplicem, et directam invenient viam. Quoniam vero multum prodest provisio animi et praeparatio ad minuendum mortis terrorem, opusculum quoque condidit, quod inscripsit: *Praeparatio ad mortem*, ex quo uno intelligi potest quam ipse abundaret praeceptis institutisque Christianae philosophiae, et quam ejus mens aleretur vitae consequentis contemplatione, sic ut quo pro-

Digitized by Google

pius ad mortem accederet, quasi terram videretur videre, in quam tanquam in portum ex periculosa navigatione esset venturus. Sunt etiam alii libri, ut vocari solent, *Ascetici*, quos dum Monachus erat, officio suos instruendi tribuit. Sed cum ille exemplum esset innocentiae, et omnis officii diligentissimus, non minus factis, quam dictis aut dormientes excitabat, aut currentes incitabat ad vitam sanctissime degendam. Moris majorum summus imitator, antiquitatisque amator eximius vel ab adolescentia exquirere et colligere ea coepit, quae ad ritus in sacro faciendo pertinebant; sed opus magnum et arduum, quod de rebus liturgicis edidit, Romae dum esset, urgente maxime Cardinale Sfortia Pallavicinio, instituit atque perfecit. Septem et amplius annos in illo consumpsit, judicatumque est omnes scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimari non poterat, facile illum superasse. Multos doctissimos viros non Italos modo, sed et Gallos commemorare possemus, qui hanc laudem tribuerunt Bonae, explicasse illum accurate et eruditissime omnia, quae propria erant Catholicis Ecclesiis

maximeque Latinis, et ex multorum rituum compositione comparationeque effecisse, ut intelligeretur quae omnibus communis fuerit de Eucharistia doctrina ac fides, quod sane ad tollenda callida et malitiosa Haereticorum sophismata plurimum intererat. Egit itaque primo de Eucharistiae institutione, apparatu, variis missarum generibus, templis, aedibus, locis, altaribus, vasis, luminibus, instrumentis, diversis ministrorum ordinibus, multiplici indumentorum forma, figura et colore, ceterisque hujusmodi rebus, quae sacrificium ipsum antecedunt. Quibus copiosissime expositis, explicat quae sint partes Missae, quae sint caussae et rationes omnium rerum et verborum, quae fiunt, adhibenturque; quid faciendum fugiendumque sit, quid constantissime servatum, quid additum, quidque immutatum fuerit, et haec omnia sumi debuere ab innumeris ritualibus libris, ceterisque monumentis antiquitatis, quam totam Bonam habuisse cognitam, et in hoc opere exposuisse facile existimabis. Quod qui legat discet quas attulerint quaestiones non Haeretici modo, sed et Catholici ad Euchari-

stiam, omnemque fere rem liturgicam pertinentes, quidque de iis judicandum statuendumque sit. Ineptus sane essem si vel summatim praecipua persequi vellem, quae in hoc thesauro sacrae eruditionis continentur, qui ut in manus hominum pervenit, non jucunda solum, sed etiam admirabilis visa est sapientia Bonae. Nescio an ille se laudari laetatus sit a laudatissimis viris. Nam non levitas illi, sed certa ratio, non gloriae desiderium, sed hominum utilitas caussam scribendi dedit. Ea propter ut audivit Joannem Mabillonium minus probare ea, quae attulerat in cap. XXIII. lib. I. de azymo et fermentato pane, inclinans ad Jacobi Sirmundi sententiam, docensque ad saeculum usque X. Latinos tum fermentatum, tum azymum adhibuisse, deinceps vero obtinuisse ritum azymi, cum Graeci retinuerint semper ritum fermentati, rogavit ipsum, ut accurate hac de re tota scriberet. Sciebat enim quantum credendum esset doctrinae illius. Paruit ejus voluntati Mabillonius, et quae exaravit virum moderatum, ingenuum et veritatis diligentissimum ostendunt. Librum, quem anno

MDCLXXIV. edidit in vulgus, ipsi Bonae nuncupavit. Eodem tempore extitit Franciscus Macedo Franciscanus homo, qui cum in Bonam male esset animatus, quod nullam sui, ut aliorum multorum, honorificam mentionem suis in operibus fecisset, haud dimittendam occasionem putavit dolorem ulciscendi suum. Declaravit quale ingenium esset in se, cum virum, cujus doctrinam sanctitatemque omnes suspiciebant ac venerabantur, aspere insectatus esset. Sed vanum hominem, qui aura captus frivola insolentem sibi adripuerat fiduciam, aut derisum fuisse credo vel ab suis consiliariis, aut admonitum, ut cohiberet iracundiae motus. Quod si fecisset, minime censoriae severitatis nota ejus Dissertationi *

* Amplissimum hunc libellus infelicissimus prae se fert titulum: *Reverendissimi P. F. Joannis Bona Abatis Generalis Cisterciensis ex Congregatione Foliensium doctrina de usu fermentati in sacrificio Missae per mille et amplius annos a Latina Ecclesia observato, dum esset Abbas, antequam R. E. Cardinalis (qualis nunc est) crearetur, examinata, expensa, refutata a P. F. Francisco a S. Augustino Macedo Min. Observ. Lectore publico Patavino, producto textu Authoris, et adhibita responsione in libro inſcripto Rerum Li-*

inusta fuisset. Ceterum Bonae sententia non solum habuit oppugnatores, sed etiam defensores plurimos, et in utramque partem multa adhuc disseruntur in scholis. Quanquam ille eamdem, ut ita dicam, mitigaverit, cum declarasset Latinam Ecclesiam adhibuisse panem modo fermentatum, modo azymum pro temporum, locorum et gentium ratione, nunquam tamen deseruisse videtur. Gratias tamen egit Mabillonio, tum quod laborem impenderit in illustrandam rem, quae erat obscura, et quae difficiles explicatus habebat, tum quod de liturgia Gallicana, in qua exponenda sibi non plane satisfecisse ajebat,

---

turgicarum cap. XXIII. Inglostadii sub signo Aquilae.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Vel ab his reprehensus fuit, quibus minus probabatur Bonae sententia; et quae de eo scripsit Mabillonius summae impudentiae et imperitiae quoque arguunt Macedum. Quod ipsum quavis pena dignum judicabat Norisius, sui et Bonae caussa, cujus erat admirator maximus, ea paraverat, quae ad retundendam hominis Franciscani superbiam plurimum valuissent. Sed opus improbavit Bona, qui integritatis sincerae conscius facile patiebatur se a noxiorum premi insolentiis,

scribendum suscepisset. Sed multa, quae aliorum fugerant negligentiam, unius hominis reperit solertia, quare vere dictum ab Eusebio Renaudotio * putamus, vidisse omnia Bonam, optima collegisse, et primum in rebus liturgicis docte et sapienter illustrandis palmam accepisse. Quanquam in his rebus omnem aetatem consumpsit, noli putare ipsum neglexisse reliqua studia, quae reconditis in artibus, et in quadam varietate litterarum versantur. Vel a prima aetate coluit Latinam poesin, et quos Latinis carminibus reddidit Davidici aliquot Psalmi jure meritoque a multis, sed praesertim a Leopoldo Mediceo, aequo et sapientissimo harum rerum aestimatore, laudati fuere. Non hospes erat in Graecis et Hebraicis litteris, in philosophia, magistro Hieronymo Carrario, cujus magnum erat nomen, haud mediocriter profecerat, et toto illo quinquennio, quo Augustae Taurinorum fuisse diximus, se totum

---

* In Praef. ad *Liturgiarum Orientalium Collectionem*.

in nobiliores disciplinas, ne mathesi quidem, astronomia ac musica exceptis, quas homine theologo haud indignas esse, ut multi, putabat, abdidisse ex ipso comperimus *. Inexplebilis cupiditas discendi apparebat praesertim in iis, quae ad theologiam et sacram eruditionem pertinebant, et cum talis evasisset, ut summis viris par esse posset, res liturgicas maxime illustrare sibi sumpsit, ut sereret aliquid tanquam in inculto et derelicto solo; et quod sperabat plura bona ex illarum cognitione posse propagari, alios ad eamdem tractationem invitabat. Consuetudine beneficentiae cum paratus esset, et tanquam exercitatus ad bene de multis promerendum, libentissime suppeditabat de thesauris suis quae ceterorum utilitati potuissent servire. Testati id sunt Lucas Holstenius, Leo Allatius, et multi eorum, qui divinarum rerum

* Extat ejus epistola ad Hieronymum a S. Roberto de tota ratione studiorum suorum: pag. 3. inter *Selectas ejus epistolas* Augustae Taurinorum editas an. MDCCLXV.

scientia tum in Gallia florebant. Minime pigebit nominare nonnullos, quo testatior sit opinio, quam absentes de illius doctrina habebant. Joannes Cotelerius cum scripta Graecorum Patrum, qui ab ultimis Ecclesiae temporibus vixere, simul conjungere, et commentariis explicare deliberasset, a Bona petiit, ut partem laboris in se susciperet, maximeque exquireret illo suo judicio certo et acri quae vera, falsa ac dubia essent. Cumulate satisfecit amico; nec minus bonitas illius respondit judicio, quod de illo habuerunt S. Bernardi operum editores Lucas Acherius, Claudius Chantelovius et Joannes Mabillonius. Totam Benedictinorum familiam, quae a Sancto Mauro appellatur, in qua maxime florebant non modo tres ii, quos nominavi, sed alii plures doctrina excellentes homines, adeo sibi beneficiis, et quasi quadam societate et communicatione earum rerum, quae ad divina studia pertinebant, obstrinxerat, ut Bonae caussa eadem vehementer omnia vellet. Vicissim Bona suum esse putabat et quid sentiret de praeclaris ab ea susceptis operibus ostendere, et quod ipsa faciebat libera oratione contra

nonnullorum invidiam defendere. Multa et maxima sunt quae suppeditavit Acherio ipsi ad ornandum *Spicilegium veterum Scriptorum*, eique aliisque auctor fuit, ut Aythonis, Theodulphi, Ebbonis, Attonis, Marii Mercatoris aliorumque opera quaedam, quae ipse ex codicibus praesertim Vaticaniis deprompserat, emitterent. Favit et Francisco Combefisio ac Stephano Balutio, atque suis copiis mirifice adjuvit Petrum Gousainvillaeum in edendis S. Gregorii Magni operibus. Statuerat enim se non solum officii fructum, sed etiam pietatis laudem debere in eo quaerere, quod particeps, vel socius, vel auctor esset hujusmodi consiliorum. Non mediocria sunt quae concessit Joanni Thiersio, viro Graecis Latinisque litteris eruditissimo, qui quidem tantum tribuebat judicio Bonae, ut ad eum scribens his usus sit verbis: *Is es, cujus studio nihil non tribuo, cujus sententiae, clausis ut ajunt, oculis acquiesco, a quo si nudus labor comprobetur, quin ab eruditis viris sit comprobandus non dubito*. Philippus Labbeus cum suas ad Bellarminium Dissertationes edidit, se ex omnibus maxime dolere Bonae mortem

declaravit, cujus doctrina duce easdem confecerat. Nam inter cetera doctus ab eo fuerat *Sermones XV. de Coena Domini* Ogerio Luceriensi, non aliis, ut ipse et Theophilus Rainaudus judicaverant, tribuendos esse. Officia plurima praestitit Christiano Lupo, qui iis temporibus in Academia Lovaniensi ob singularem in rebus divinis scientiam principatum tenere videbatur, et benevolentissime et constantissime ipsum defendit, cum graves in eum turbae excitatae fuissent, quod Joannem Hierosolymitanum inter Haereticos adnumeravisset. Bollandus, Papebrochius atque Heschenius saepe testati sunt quanta subsidia a Bona acceperint in Sanctorum rebus gestis conscribendis, neque desunt alia plura clarorum virorum testimonia, quae magnificis verbis declarant, quid pie, quid grate, quid humaniter ipse aut fecerit, aut tulerit ad amplificandam hominum gloriam et litterarum dignitatem. Reprehensus interdum a Jesuitis fuit quod defensionem hominum, qui contrariarum partium erant, suscepisset; sed ille sui judicii, potius quid se facere par esset intuebatur, quam quid ii laudaturi forent.

Digitized by Google

Hoc quoque sit humanissimi Cardinalis bonitatis exemplum, quod si quos invenisset, inter quos laudis esset aemulatio, quantum poterat enitebatur, ut nulla intercederet obtrectatio, omnesque ad Christianam rempublicam, sanctioraque ejus instituta defendenda quasi cognatione quadam conspirarent. Cum jam in uno homine possent cerni omnia, quae commendant ad opinionem et innocentiae et doctrinae, magnum ex ejus morte boni, Pontifex Maximus, et universa civitas percepit dolorem. Obivit illam sancte, postquam triginta quatuor dies aegrotaverat aestu febrique jactatus, v. Kal. Novembres an. MDCLXXIV. Urbanum coenobium, quod dicitur S. Bernardi ad Thermas, magna ex parte rerum suarum reliquit heredem. Eo in loco, quo Monachorum ossa sepeliuntur, conditum et ipsius cadaver, sic illo praescribente, fuit cum hac inscriptione, quam sibi vivens fecerat.

D.

D. O. M.
JOANNES BONA
PEDEMONTANVS
CONGREG. SANCTI BERNARDI MONACHVS
ET HVIVS ECCLESIAE
TRANSLATO HVC TITVLO
S. SALVATORIS IN LAVRO
PRIMVS PRESBYTER CARDINALIS
VIVENS SIBI POSVIT.

Minime curarunt Monachi monumentum magnifico adornatum opere, nobiliorique in loco faciendum, quod Bonae virtutis memoria nec oblivione eorum qui fuere, nec reticentia posterorum deleri possit.

OPERA EDITA

De divina psalmodia, deque variis ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis divinis officiis Tractatus sive psallentis Ecclesiae armonia: Romae apud Jo. Petrum Collinium 1653. *in* 4. Idem opus auctum prodiit *Parisiis apud Ludovicum Bilaine* 1663 *in* 4. *et* 1672. *in* 4. *et Coloniae* 1676. *in* 8. Mens erat Alberto Fabricio locum ei dare in Tomo VIII. Antiquitatum Ecclesiasticarum (vid. *Giorn. de' Lett. d' Italia, Tom. IX. p.* 553.) Non est tacendum quod cum Bona in fronte operis judicium exposuisset suum de auctoribus et libris, quibus usus fuerat, hujus rei primus omnium exemplum dedisse videtur.

Via compendii ad Deum: Romae typis Angeli Bernabò a Verme 1656. *et* 1657. *in* 12. *Parisiis apud Fridericum Leonard* 1662. *in* 12. *Argentorati et Coloniae* 1674. *in* 8. *et Venetiis apud Jo. Mariam Lazzaronum* 1742. *in* 12. Bis etiam edita Bruxelles et Parisiis fuit Gallicum in sermonem conversa.

Manuductio ad caelum: Romae apud Angelum Bernabò 1658. *Lugduni sumptibus Claudii Prost* 1660. *in* 12. *Viennae Austriae apud Matthaeum Cosmerowium* 1660. *in* 12. *Francofurti apud Gullielmum Serlinum* 1663. *in* 24. *Friburgi Brisg.* 1663. *in* 12. *Bruxelles typis Francisci Foppens* 1663. *in* 32. *Parisiis apud Antonium Crestien et Petrum de Bast* 1664. *in* 12. *Monachii* 1664. *in* 12. *Neapoli apud Antonium de Fusco* 1664. *in* 12. *Romae apud Jacobum Dragondellum* 1664. *in* 12. *Bruxelles et Reterod.* 1670. *et* 1675. *in* 16. *Coloniae* 1674. *in* 8. *et Venetiis* 1698. *in* 16. Hoc opus translatum fuit in linguas Italicam, Gallicam, Germanicam, Armenam et Hispanicam.

De sacrificio Missae Tractatus asceticus. Rhotomagi 1668. *in* 12. *Parisiis* 1676. *et* 1678. *in* 12. *Monachii*

Digitized by Google

1678. *in* 12. *Coloniae* 1680. *in* 12. *et Romae* 1687.

Rerum Liturgicarum lib. II. Romae typis Nicolai Angeli Tinassii 1671. *in fol. Parisiis* 1672. *in.* 4. *Coloniae* 1674. *in* 8. *Parisiis* 1676. *in* 8. *Aucti, et fusiori disquisitione de azymo et fermentato locupletati.* Ex omnibus editionibus, quae operis vere aurei factae sunt, commendatur maxime Taurinensis, quam curavit Robertus Sala, et notis copiosissimis illustravit, et in tres Tomos in fol. magn. divisit. Editus I. est an. 1747. II. 1749. III. vero an. 1753. Biennio post ipse edidit Tomum IV. cum hoc titulo: *D. Joannis Bona S. R. E. Presbyteri Card. Epistolae Selectae una cum eliis eruditorum virorum ad eumdem.*

De discretione spirituum in vita spirituali deducendorum lib. I. Bruxelles 1671. *et* 1674. *in* 12. *Romae apud Tinassium in fol. et* 1674. *in* 4. *et Venetiis apud Jo. Mariam Lazzaronum* 1742. *in* 12. Editus liber fuit cum *Via compendii ad Deum. Parisiis* 1673. *in* 4. Translatus cum fuisset in Gallicam linguam, Parisiis typis impressus fuit an. 1677. in 12.

Principia et documenta vitae Christianae: Romae 1674. *in* 12. *Parisiis* 1674. *et* 1675. *in* 12. *Coloniae* 1675. *in* 12. *Monechii* 1676. *in* 12. *et Veronae per Jacobum Vallarsi* 1729. *in* 12. Bis Italice redditus liber fuit, semel Gallice. Quae vero hoc usque nominavimus Bonae opera simul collecta typis impressa fuerunt *Antuerpiae* 1677. in 4. et 1694. in fol. *et Parisiis* 1678. tres in Tomos in 8. divisa.

Testamentum sive praeparatio ad mortem Fr. Jo. a S. Catharina Monachi Congr. Reformatae S. Bernardi Ord. Cisterc. demum Card. Bona nuncupati Jo. Cinellius nunc primum in lucem edit Florentiae ex typogr. sub signo Navis 1675. *in* 24. *Lugduni apud Anissonios* 1676. *in* 12. *et Monachii* 1676. *in* 12. Cinellius, qui librum dono accepe-

Digitized by Google

rat a Magliabechio, Italicam in linguam transtulit, et ipse Bononiae et Mediolani typis impressus fuit.

Horologium asceticum indicans modum obeundi Christianas exercitationes opus posthumum. Parisiis apud Ludovicum Bilaine 1676 et 1679. in 12. Antuerpiae 1679. in 4. Coloniae 1681. in 12. Hoc opusculum in Italicam linguam translatum editum Venetiis fuit 1733. in 12. cum *Testamento* Bonae.

De praeparatione ad mortem opusculum Praeneste typis Barberinis per Jo. Dom. Masci 1731. Aureolus sane libellus sub pulvinari Card. Bonae repertus fuit, et dono datus Barberinio. Horum omnium operum collectio edita fuit Antuerpiae primum anno 1723. in fol. mox eadem in urbe 1739. in fol. Sunt qui narrant Bonam reliquisse *Examen mysticae Theologiae, ejusque consensus cum Scholastica*, et aliud opus inscriptum: *Phoenix rediviva, renovatio spiritus per anachoresim, et exercitia spiritualia*, et reliquisse etiam quaedam *de vita sua, et Sermones sacros*. Praeter epistolas, quas a Sala editas fuisse narravimus, aliae plures extant tum editae, tum ineditae, quae omnes singularem viri prudentiam, doctrinam et sanctitatem declarant.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

ALOYSIO CREMANIO
IN TICINENSI LYCEO JURIS PRUDENTIAE
DOCTORI S. P. D.

QUonam fato fieri putabimus, amiciſſime Cremani, ut cum multos impellat ad juris prudentiam addiſcendam utilitatis magnitudo, pauci tamen nobiliſſimam facultatem ſic profiteantur, ut non modo juriſconſultorum nomine, ſed ne foro quidem dignos arbitremur? Caſtigemus ſegnitiam hominum atque inertiam; et quoniam hac aetate omnes praeclarae diſciplinae plurimum amplificatae fuere, non ſinamus in ſqualore jacere, et male haberi prudentiam juris, quam qui contemnendam putat, is vincula revellit non modo judiciorum, ſed etiam utilitatis vitaeque communis. Cogitanti mihi ſaepe numero et memoriae vetera repetenti perſapientes fuiſſe Romani videntur, qui cum rerum geſtarum gloria florerent, nulla re magis imperium retineri poſſe putarunt, quam legibus ad illam antiquiſſimam, et omnium rerum principem expreſſis naturam. Optima enim lex eſt naturae vis, mens et ratio pruden-

tis, juris atque injuriae regula. Difficile est virtutem et aequitatem illum revereri, qui semper secunda fortuna sit usus. Nihilo tamen minus Populus Romanus vel in summa rerum omnium prosperitate tantum civili sapientiae tribuit, ut voluerit eam asservari inter Deorum sacra atque caerimonias, jusque a Pontificibus velut ab ipsa divina justitia postulari; hos leges constituere, hos formulas componere. Quanquam deinde ad populum transierit juris prudentia, ac demum in Principum arbitrio ac potestate fuerit, non minor tamen extitit cura prospiciendi hominum felicitati aequissimis legibus; nec piguit Praetorios viros et Consulares militari virtute et triumphis insignes legum scientiam profiteri, sive in judiciis orarent caussas, sive domi sedentes in soliis, aut transverso foro obambulantes de jure consulentibus responderent, sive caerimonias religionesque in Deos ordinarent, jusque Pontificium commentariis describerent, sive in forensibus disputationibus juris regulas definirent, et ambiguas leges ratione atque auctoritate declararent confirmarentque, duras aequitate temperarent, inutiles rejicerent, sive adolescentes, in quibus erat indoles virtutis, disciplina instruerent, rati sa-

pienter, quales ipsi cum praeceptis, tum exemplis informarentur, talem fore Reipublicae fortunam. Hujus dignitas, quae quidem non tam rebus gestis, quam recta ratione in jubendo ac vetando sic amplificata est, ut nihil addi potuisse videatur, minui coepit, cum mores lapsi sunt ad luxuriam atque avaritiam: tuebantur se tamen pristinae leges sanctitate sua, et vel ii, qui Rempublicam funditus everterunt, e re sua esse putarunt ea servari instituta atque scita, quae naturae communi hominum consentirent, et civilibus negotiis quadrarent omnium regionum ac temporum. Quare minime est mirandum, si populi, qui a Romanorum imperio desciverant, ac suos sibi Reges crearunt, Romanas tamen minime deseruerunt leges, ne amitterent humanitatem et regulam, ad quam, quasi e caelo delapsa illa esset, omnium fere judicia rerum dirigerentur. Nec parum profuit ad Romani juris augendam dignitatem jurisconsultorum opera. Hi enim quasi Reipublicae consiliarii atque administri, legum conservatores et judiciorum moderatores dati essent, quidquid in Graecorum scholis et in philosophorum libris invenissent ex usu justitiae et Romanae civitatis, patriis judiciis sic aptabant, ut ubi caussa defi-

ceretur verbis legis, tum vel dialectica ratio, vel moralis doctrinae praecepta in auxilium vocarentur, quae asperiora videbantur regulis mitigarentur aequitatis, quae obscuriora propter mutationem linguae et morum nova luce illustrarentur, et quae necessitas magis quam consilium pepererat, et nascenti magis, quam adulto imperio opportuna videbantur, mutarentur, et ad omnia tempora omnesque, si fieri potuisset, mores accommodarentur. Ex interpretationibus, disputationibus responsisque jurisconsultorum nata est juris prudentia, quae adeo propria Romanorum fuit, ut etiamsi ceteras doctrinas omnes atque artes a Graecis acceperint, hujus tamen se solos inventores ac propagatores fuisse merito gloriarentur. Sed jurisconsultorum, qui antiquas leges, Senatusconsulta, edicta, orationes Principum illustrarunt, ambiguas enodarunt quaestiones, sua responsa atque decreta ediderunt, tanta fuit copia, ut Justiniani aetate duo usque librorum ab iis conscriptorum millia numerarentur, qui in foro obtinebant auctoritatem. Magnopere propterea intererat aliquem inveniri, qui, quod fusum et dissipatum erat, in certa genera cogeret, et ad artem quodammodo redigeret, quod ita prae-

Digitized by Google

ſitum ab ipſo Juſtiniano fuit, poſtquam jam legum codicem vulgaverat, ut ex immenſo illo librorum numero unum coagmentatum ſit opus, ex quo tanquam ex oraculo peterentur reſponſa ad omnem fere judicialem controverſiam dijudicandam atque dirimendam. Multis enim rejectis, quae contraria, ſupervacanea, antiquata judicabantur, multis mutatis, interpolatis, omnibus diligentiſſime excuſſis, perluſtratis, ea tantummodo excerpta fuerunt, quae in foro judiciisque locum habere poterant, ac ſi tunc primum inventa et ſcripta fuiſſent. Si Juſtinianeum aevum doctius fuiſſet et elegantius, majus quiddam confici potuiſſet. Verum dum dolemus, quod praetermiſſa fuerunt innumera Senatusconſulta, innumera edicta, innumerae conſtitutiones cum interpretationibus illorum juriſconſultorum, qui, libertate vigente, claruerunt, in quibus temporum et Reipublicae formam et veterem elegantiam expreſſam contemplari poſſemus, ignoſcemus Triboniano praecipuo Pandectarum auctori, qui habuit excuſationem voluntatis Principis, laboris pluſquam Herculei, in quo exantlando triennium tantummodo conſumpſit, et commodi publici, cui non ſatis conſultum fuiſſet, ſi neglectis

recentioribus Papiniano, Paullo, Ulpiano, Juliano, Cajo, Africano, Marcello ceteriſque, quorum vel Principum ipsorum constitutionibus confirmata fuerat auctoritas, ex Catonum, Muciorum, Manilii, Caſcellii, Servii, Sulpicii, aliorumque veterum juriſconſultorum ſcriptis magna ex parte Pandectae compoſiti fuiſſent. Istud Romanorum jus, quod tam late patuit, quam illorum imperium, quod excultum ab hominibus ingenio et doctrina summis fuit, quod ex ipsius juſtitiae et naturae fontibus manaſſe judicabatur, quod Juſtiniani Imperatoris auſpiciis ac juſſu collectum, digeſtum, ordinatum, confirmatumque fuit, per ſex ferme rudia, insipientia, inficeta, omnisque humanitatis, doctrinae atque elegantiae ignara ſaecula non neglectum modo, ſed omnino obliteratum jacuit, donec ad ſcholas ac fora Occidentis, imperante Lothario Saxone, poſtliminio rediit. Tum inveterata barbaries ex moribus diſciplinaque hominum deleri coepit, tum jura ſocietatis et officia vim ſuam recuperarunt, tum compreſſa Regulorum ceterorumque potentiorum, qui forum et jurisdictionem cum ferro et armis miscebant, intoleranda licentia, tum nata cupiditas noſcendi linguam et mores Roma-

Digitized by Google

norum atque artes, quibus juſtitiae penetralia reſerantes non minus aeterna jura, quam aeternam Urbem atque aeternum Imperium condidiſſe videbantur. Commoda, quae ex legibus conſtantibus et univerſo generi hominum accommodatis percipiebantur, tantum juris prudentiae amorem excitarunt, ut inſtitutae plures Academiae fuerint ad illam publice docendam, magniſque honoribus ac praemiis ii donati, qui in hac facultate excellere putabantur. Sed quoniam multi ſemper laboris, multique temporis fuit perpolire diſciplinas, quae aut inveniuntur, aut intermortuae reviviſcunt, jamdiu plurimi ad ſcholas loquacitatem ſine litterarum ſcientia, et ſine eloquendi elegantia attulerunt, ut litigandi magis, quam juſtitiae tradidiſſe vias judicentur. Porro cum conſtet univerſa juris prudentia communi omnibus hominibus jure, et legibus et moribus populi Romani, qui ejus ſolidam et expreſſam effigiem non umbram videre cupiunt, neceſſe habebunt ſedulo inquirere quid jura gentium et naturae praecipiant, quid rectores civitatum in illa addiderint, aut immutaverint, ſuadente publica utilitate, quae fuerint legum, Senatusconſultorum, Edicti perpetui verba; quae reſtitui poſsint, quae amiſſa videantur,

quis auctor, quis ordo, quae ratio, quae ſententia fuerit; quae veteres annotaverint; quae reſcriptis aut conſtitutionibus laxaverit benignitas Principum; quae in Pandectis aut Codice conjungi, quae ſeparari ſuadeant locorum inſcriptiones aut ſubſcriptiones; quae praeterea ex veterum moribus et ſtudiis, ex linguae uſu, ex Graecis ſcriptoribus, atque ex omni antiquitatis notitia illuſtrari poſſint; quae fuerint ſectarum diſcrimina, quae illarum veſtigia aut in legibus ipſis, aut in Prudentum reſponſis appareant; quid jubeat regula juris, quid adverſus eam pro communi utilitate receptum ſit, quid recte, quid ſecus fecerit Tribonianus; quae demum ſcripturae, quae interpunctionum ſit fides, conſtantia, aut varietas. Hanc viam omnium primi inierunt Alciatus et Budaeus, hanc tenuerunt Duarenius, Hotomannus, Donellus, Giſanius, Gothofredi et, ut uno nomine omnes complectar, Cujacius, quorum exempla ſi nos ſequemur, juris prudentiae dignitati et famae noſtrae conſulemus. Qui declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro quaerunt, ſtultitiae ſuae dabunt poenas. Non mediocris ingenii eſt atque doctrinae juris prudentiam profiteri; et juriſconſultus, qui prius in

Digitized by Google

grammaticorum, rhetorum ac philoſophorum ſcholis diu multumque ſe non exercuerit, quique ignarus ſit, quibus ex fontibus leges manaverint, hoc indignum nomine arbitrabimur. Gratulor huic noſtrae, gratulor Academiae Ticinenſi, in qua magna celebritate ſamae vel ab adoleſcentia docere coepiſti, quod cum locum non dent niſi eruditiſsimis juris prudentiae magiſtris, turbam et barberiem forenſem a ſcholis atque judiciis depellere conantur; et quoniam gloriari in primis videris, quod magiſtrum habueris Leopoldum Guadagnium, cujus ſane domus multos ad opinionem innocentiae et juris civilis commendavit, ejus vitam ea mente ſcribendam ſuſcepi, ut hanc tibi veteri amico veluti munuſculum, levidense tamen craſſoque filo mitterem, quod ita accipi volo, ut te mihi cariſsimum esse propter egregiam doctrinam tuam ac suavissimos mores, et propter multa, quae mihi semper tribuisti officia, me tibi esse devinctissimum intelligas. Vale.

Pisis IV. Non. Ian. MDCCLXXXVI.

Leopoldus Andreas Guadagnius.

Majores Leopoldi Andreae Guadagnii jurisconsultorum nostrae aetatis eruditissimi sedem Aretii habuerunt, ex qua urbe Marcianum, ac demum Florentiam concessere. Civitate Florentina donati eas exercuerunt artes, quae honestam familiam decent. Petrus Aegidius Leopoldi pater medicinam et chirurgiam faciebat, et magno argumento est ipsum famam ex iis collegisse, quod cum Veneti an. MDCLXXXX. bello Illyrico educerent naves in expeditionem adversus Turcas, copiarum et Ducis valetudinem ejus prudentiae in primis commendarunt. Redux in patriam, cum viduitatem aegre ferret, duxit in matrimonium castissimam feminam, quae nobili patre Anglo, at Florentiae genita erat. Huic nomen Anna Maria Palmar, ex qua plures suscepit liberos, quorum natu secundus Leopoldus Andreas in lucem venit XI. Kal. Decembres an. MDCCV. Domi prima humaniorum litterarum elementa didicit: mox ad homines Scholarum, ut vo-

Digitized by Google

cant, Piarum ductus audivit Ferrantem Moneliam, qui rhetoricam Florentiae ita docebat, ut ejus in universa Etruria percelebre esset nomen. Eruditus et ab iisdem hominibus fuit philosophia, quae ut tum erant tempora, prorsus Lyceum olebat. Ne paternum, ut saepe fit, sequeretur exemplum in danda operà medicinae, fecit hebetudo oculorum, quapropter de juris prudentia addiscenda deliberavit, ex qua gloriam et quaestum sibi pollicebatur. Adolescens illustri ingenio atque industria, et ita moratus, ut prae se probitatem, modestiam ingenuitatemque ferret, cum venisset ad Academiam Pisanam, alliciebat ad se se amandum omnes, quos frequentabat, magistros, atque adeo consuetudine sibi devinxit Jo. Paullum Gualterium et Josephum Averanium, ut nemo iis perpetuo fuerit carior. Sane quem locupletiorem invenisset Averanio, ut ejus opera divitias atque ornamenta ingenii sui augeret? Exercebatur ab eo non tam publice, quam privatim non modò in studiis juris prudentiae, sed etiam in ceteris facultatibus, quae illam juvare possunt. Gratus vero et pius Leo-

poldus in praeceptorem ad ejus exemplum et praecepta omnes actiones suas moderabatur, et sacra ei fuisse dixisses nomina, sententias, scripta, memoriam Averaniorum fratrum. Scholae vacatio non vindicabat eum a labore, cum Florentiae apud Ferronium et Morreliam, qui caussarum patroni nobilissimi habebantur, plurimum exerceretur. Frequens etiam erat Antonii Mariae Salvinii auditor, a quo litteras Graecas ita didicit, ut aequalium suorum haberet, superiorem neminem. Cum vero Salvinius ob valetudinis incommoda domi detineretur, neque continere se posset, quin Graeca praesertim epigrammata componeret, excipiebat haec ex illius voce Guadagnius, et inter scribendum multa ex praeceptore quaerebat, quae ejus studium magis magisque proficiendi in Graecis litteris declarabant. Eodem tempore plurimum se exercebat in Etrusca et Latina lingua, ut confideret se jam posse inter elegantes scriptores numerari. Eam certe sibi formavit orationem, quae etiamsi viribus careat, et lenitatem scriptoris exprimat, est tamen, ut ita dicam, integra valetudine. Quidquid inde hau-

haurias, purum liquidumque te haurire senties, et facile subscribes nostrorum hominum sententiae; qui omnium fere jurisconsultorum Etrusce et Latine loqui elegantissime Guadagnium judicarunt. Hoc etiam nomine coepit absentibus esse notus; et cum in amicitiam venisset Jacobi Facciolati viri omni fere liberali doctrina politissimi, hoc suasore, Academiam Patavinam cogitavit. Est hoc in more positum, ne ad eam fere admittantur, qui publicum aliquod doctrinae monumentum minime prodiderint, quapropter Guadagnius de legibus Censoriis opus scribendum suscepit, quod a Facciolato ipso, cui inscribitur, Venetiis editum est *. Disputabant jurisconsultorum eruditissimi num Censores potestatem habuissent cogendi comitia, rogandi populum, ferendique leges. Quanquam eorum dignitas ad tantam amplitudinem pervenerit, ut morum disciplinaeque Romanae regimen, Senatus Equitumque centu-

* Extat in libro, cui titulus: *Novelle letterarie per l'anno* 1731. *in Venezia presso l. Albrizzi*.

riae decoris dedecorisque discrimen sub ditione ejus magistratus essent, publicorum jus, privatorumque locorum, et vectigalia P. R. ab ejusdem nutu atque arbitrio penderent, probat tamen Guadagnius adversus Heineccium aliosque multos, Censores, concionem etsi aliquando habuerint ad populum, hunc tamen convocare, et cum eodem agere de ferendis legibus minime potuisse; potuisse quidem edicta proponere, quae improprie leges appellata fuere: *Lex* enim, ut ait Capito apud Gellium *, *est generale jussum populi aut plebis, rogante magistratu*. Cum vero Censoribus liceret publicos agros vendere et locare, locare et vectigalia atque opera publica cum quibusdam pactis seu conditionibus, quae leges appellari solent, hinc etiam factum docet Guadagnius quare eorum edicta leges nominarentur. Quae monumenta ad nos pervenerint hujusmodi legum, quae in iis continentur, quae fuerint Censoriae tabulae aliaque hujusmodi ita copiose, eleganter atque erudite explicat Guadagnius, ut esse jam e-

* Lib. X. cap. 20.

Digitized by Google

jus artis, quam profiteri coeperat, antistes videretur. Quibus editis, Facciolatus non minus prolixe Guadagnio de voluntate Triumvirum Gymnasii Patavini promisit, quam erat solitus de sua polliceri; quod cum ad aures pervenisset illorum, qui Academiae Pisanae praeerant, retinendum in Etruria hominem putarunt, de quo non solum bene sperare, sed explorate etiam judicare poterant. Itaque non invitarunt modo, sed pene etiam ipsum coegerunt, ut onus publice Pisis docendi Institutiones Juris Civilis susciperet, quod accidit aestate an. MDCCXXXI. Regnabat tum in Etruria Jo. Gasto Mediceus, qui eruditus ab Averanio fuerat scientia juris civilis. Ut audivit ergo ab Averanio sic efferri Guadagnium quasi hominem, qui decus atque ornamentum futurus esset Academiae Pisanae, jussit eum bene sperare, et bono animo esse in ingrediendo novo munere. Quam tum dixit Latina oratio, qua veluti Academiae fores aperiuntur, magnam commendationem habuit, quod esset sapientissimis sententiis, gravibusque verbis ornata et perpolita. Quod cum ad augendam opinio-

Digitized by Google

nem, quam omnes habebant doctrinae illius, plurimum valuisset, ejus schola juventutis flore frequentabatur. Multa ei obversabantur animo, in quibus optabat vim doctrinae suae consumere. Videbat tamen, ne quid privatis studiis de opera publica detraheret. Saepe etiam consulentibus respondebat, et quod plurimi illum sibi aut arbitrum, aut judicem, aut patronum deligerent, quodque Lucensium, Genuensium, Epidauriorum Respublicae aliique Principes de rebus gravissimis illius consilium exquisierint, id magno argumento est, non aliqua simulatione aut artificio, sed fide et prudentia celebritatem sermonis hominum illum consecutum fuisse. Non me latet eumdem a nonnullis culpatum fuisse, quod nimium temporis foro tribuerit. Sed si dum publico fungi debebat munere, operam suam nunquam a discipulis removebat, injuste profecto reprehenditur otium illius, qui non modo in eo hebescere et languere noluit, sed etiam plurimis ut prodesset enixus est. Gloriam vero non minui, sed etiam augeri arbitramur eorum, qui ad illustres laudes has etiam minus notas, mi-

nusque pervulgatas adjungunt. Ad excusandum etiam Guadagnium illa valent, quod cum non esset abundans (nam eo tempore, quo inter Doctores Academiae Pisanae relatus est, ejus stipendium fuit C. centussium, quanquam istud postea ad DCLX. et amplius auctum fuerit) vindemiolas suas eo reservabat, ut libros emeret, fratres sublevaret, et miseris succurreret. Qui exigere videbantur a Guadagnio, ut scriptis suis Academiae gloriae consuleret, admodum gavisi sunt, cum audierunt ejusmodi illum suscepisse opus, in quo Institutiones Juris civilis clare eleganterque expositae copiosis adeo illustrarentur commentariis, ut in iis principia juris naturae et gentium, civilis origines, rationes, progressus, Graeca Latinaque veterum Scriptorum loca, quae his omnibus lucem afferunt, et quae in usu forensi sunt, possemus agnoscere. Etsi quamplures hactenus prodierint in Imperiales Institutiones commentarii, ut ipsos *vel freto Danico sternendo sufficere posse* affirmaverit Leibnitius, in quibus alii leges cum legibus, minime vero has cum forma Reipublicae atque Imperii, cum

moribus Romanorum, et cum Scriptoribus, quos Classicos dicimus, contulerunt, alii artem criticam et elegantiores disciplinas cum juris prudentia conjungentes, mentem a contemplatione rerum ad forensem usum nunquam traduxerunt, alii demum nil nisi forum cogitantes, quod adhuc retinetur in judiciis, atque propterea quod postremum esse debebat, id primum atque unicum, neglectis fontibus, proposuerunt, nihilo tamen minus nulli extitisse videntur, qui omnes has partes, et quod singulis defuit, expleverint. Id propositum Guadagnio fuit; et cum is haberet in promptu omnem antiquitatem, omnesque notos et tractatos juris prudentiae locos, et explanationes, quas celebriores jurisconsulti adhibuerant in obscuris et ambiguis interpretandis, tale confecit, seu potius instituit opus, ut ei licuerit in hoc quodammodo gloriari, se pulcherrima juris prudentiae ornamenta, et vel ipsas Graecae et Latinae grammaticae divitias ad usum forensem transtulisse. Bina, quae Pisis an. MCCLVIII. prodierunt volumina, ad I. Institutionum librum tantummodo pertinent. Tertium volumen

nil nisi titulum primum secundi libri, qui est de rerum divisione, et acquirendo earum dominio complectitur, nec tam studiosorum utilitati, quam posteritatis otio consulere voluisse videtur Auctor, adeo multa, sane egregia, in eo collegit, quae explicant quid a natura, quid a legibus praescriptum, quidque assensione, aut auctoritate, aut judicio aliquorum comprobatum fuerit de variis privati dominii acquirendi modis. Omne id, quod pertinet ad jus tum *in re*, ut loquuntur, tum *ad rem*, ita persequi sibi proposuerat Auctor, ut totus II. liber cum tredecim titulis libri III. in priori jure explicando, reliqui cum quinque titulis libri IV. in altero jure exponendo versarentur. Sed quot ei opus fuisset voluminibus, si viam, quam ingressus fuerat, tenere voluisset? Quis ferre potuisset se invitari ad Institutiones juris civilis addiscendas immensa rerum copia, quae vel patientissimos laboris deterruisset? Auctor ipse cum praevidere nequiret quatenus hic suus labor progressurus esset; cum quotidie stimularetur a typographo, ut materiem ad inchoatum opus perficiendum suppeditaret, quam paratam

minime habebat; cumque dolenter sane audiret ita judicari de universo opere, quasi inutile illud futurum esset juris prudentiae elementorum studiosis, quanquam illud omni eruditione atque doctrina abundaret, constitit omnis ejus cura, minimeque, quod pollicitus erat, stimulos licet addentibus Academiae Curatoribus, exitu praestitit. Quapropter cum reprehenderetur a multis, excusatione aut aetatis, aut laboris, aut impensae minime utebatur, sed se non desperare, minus fortasse sincere, ajebat, fore aliquando, ut promissa esset exsoluturus. Sed haec quamvis non effecit, mirum tamen erat ejus ingenium, mira prudentia ac diligentia in erudiendis adolescentibus, qui ei in disciplinam se se tradebant. Pene silere videbantur ceteri Institutionum juris civilis Doctores, ipso Guadagnio docente, nec minor fiebat ad eum audiendi caussa concursus, cum domi tantummodo easdem Institutiones explicaret. Nam an. MDCCXLII. creatus est publicus Pandectarum interpres; et ne amplius haberet scholas privatas Institutionum, factum est XVI. post annos Principis jussu ad sedandos, cre-

do, collegarum questus. Saepe enim evenit, ut discipuli insignia doctrinae ab iis postulent, a quibus Institutionibus juris eruditi fuere. Sed hoc ipsum fuit honorabile: nam actum cum ipso est large liberaliterque, ne quid de laborum fructu dignitateque muneris diminutum videretur. Jam vero Pandectas interpretans quantam consecutus sit gloriam Guadagnius nihil attinet dicere. Videbatur prae se ferre veterum jurisconsultorum majestatem dignitatemque, dum eorum dicta atque sententias e superiori loco exponebat, nec dubito, quin si reviviscerent, Guadagnio suae linguae subtilitatem elegantiamque essent concessuri. Nil tam dolebat, quam si valetudinis incommodis, ne ad Lyceum veniret, impediretur, et vel dum erat summa senectute perditaque valetudine, domi excipiebat discipulos suos, ut illos omni doctrina juris instrueret. Opprimi illum malle onere officii, quam discipulis suis deesse dixisses. Nam praeter quam quod a natura comparatus erat ad diligentiam, caritatem et patientiam, ei persuasum erat in officio colendo sitam vitae esse honestatem omnem, ut in negligendo

turpitudinem. Qui tot annos doctrinam suam Academiae Pisanae promptam expositamque praebuit, non admodum ejus gloriae consuluit scriptis edendis. Levia sunt, si ejus sapientiae vim spectes, quae de Pandectis in vulgus emisit. Horum celeberrimum codicem, qui Pisis olim, nunc Florentiae asservatur, diligenter suo more aestate an. MDCCXXXII. examinavit, et multa ad eum pertinentia in adversaria retulit. Id ut rescivit Ferrantes Capponius, cui sane plurimum tribuebat Guadagnius, ipsum ad aliquid de eo scribendum invitavit. *Quin tu*, modeste respondit Leopoldus, *me post Homerum Iliadem scribere, aut post Roscium comoediam agere hortaris? An ignoras quam erudita hac ipsa de re Henricus Brencmannus in lucem hominum protulit?* Cum tamen opus instituisset, statim intellexit e segete ad spicilegium relictam fuisse stipulam. Libellum itaque exaravit, qui ab Antonio Gorio in volumen IV. Decadis II. *Symbolarum litterariarum* relatus fuit, in quo multa eruditio et critice comparet. Propositum autem Scriptori praesertim fuit duo haec conficere, primo Florentinum exemplar, contra

ac putaverant Politianus, Hotomannus, Broeus, Perezius aliique, Imperatoris Justiniani, seu Triboniani prototypum non esse, sed ex alio apographo, aut forte ex pluribus, ex quibus menda quaedam in illud irrepserunt, VI. vel VII. saeculo descriptum, neque adeo semper et ubique fidem eidem praestandam, ut nulla ratio, auctoritas nulla a Florentina lectione dimovere nos possit: secundo quoniam ex insigni hoc MS. ceteri omnes, quos huc usque superesse novimus, Digestorum libri profluxerunt, Florentinam lectionem, nisi summa et evidens vetet ratio, esse ceteris praeferendam. Ex hac quidem dissertatione conjicere licet fuisse Guadagnium jurisconsultorum suae aetatis elegantissimum atque eruditissimum; nec dubito quin si collegisset omnia ea, quae ad interpretandas obscuriores Pandectarum leges scripto mandaverat, clarius etiam illius doctrina apparuisset. Verum nec prece, nec praemio, nec gratia, ut aliquid ejusmodi ederet, adduci potuit, solitus excusare scholae et fori occupationes. Aegre ab illo impetravi librum, quem nunc in vulgus emitto, quemque extrema aetate

composuit *. Poterat enim hoc, quod Salvius Julianus jurisconsultorum sui temporis facile princeps, gloriari: *Nam ego discendi cupiditate, quam solam vivendi rationem in octavum et septuagesimum aetatis annum duxi, memor sum ejus sententiae, qui dixisse fertur:* και τον ετερον ποδα εν τη σορω εχων προσμαθην τι βουλοιμην **. Qui hunc librum legerit, et eruditionem et voluntatem Auctoris laudaverit, qui de adolescentium institutione optime meritus sit, cui ut magis magisque serviret, vel minima interdum, quae puerorum elementa videri possunt, sequi non dubitavit. Sed id illi erat persuasum, non esse jurisconsulti credere aliquid esse minimum, objiciebatque iis, qui haec vel arroganter, vel inepte nimis fastidire solent, Cujacii dictum ***: *nil est inutile in jure, et si mihi creditis, omnia vobis perscrutanda, pertentanda*

---

* Admonendos lectores putamus hoc commentariolum de vita Guadagnii editum primo fuisse cum libro, quem de *Graecis Pandectarum* ipse confecit.

** Apud Pomponium l. 29. de fideic. libertat.

*** De rat. doc. juris.

sunt, si non velitis esse jurisconsulti de populo. Quoniam hoc propositum Guadagnio fuit, ut Graeca Pandectarum explicaret, facile judicabis illum in suo regno versatum fuisse, et vehementer concupivisse, ut juris prudentiae studiosi omnes imitarentur Modestinum, Papinianum, Scaevolam, ceterosque, e quorum libris Digesta composita fuerunt, qui adeo amabant callebantque Graecas litteras, ut veriti minime fuerint ne irriderentur, quod saepe verba Graeca inculcaverint. Exposuit Auctor in principio operis quid esset dicturus: ait enim. *I. Animadvertendum esse duco, Graeca quaedam in Pandectis vulgo esse omissa aut mutata, aut mendose et imperfecte scripta, aut inutiliter addita; II. Romanos, etsi quondam solicitam habuerint curam servandi sartam tectamque Latinam linguam, ejusque usum longe lateque proferendi, sub Imperatoribus tamen a vetere illo instituto descivisse; III. Disserendum videtur de Romanorum studio ac peritia Graeci sermonis, qua illi quondam jurisconsultis nostris praeiverunt; IV. Ostendendum erit jurisconsultos, e quorum libris fragmenta in Pandectis exstant, non sine caussa verba Graeca Graecasque senten-*

tias immiscuisse Latinis ; *V. Agam de iis, quae Graece scripta Pandectis praemitti in editionibus quibusdam solent, et vero etiam in ceteris omnibus praemitti debebant; VI. Graeca, quae in Pandectis ipsis habentur, ad quasdam veluti classes referre juvabit; VII. Perutile erit de Graecorum, quae in Pandectis occurrunt, verborum, sententiarumque in Latinum translationibus dicere; et denique VIII. De aliquibus jurisconsultorum hellenismis*. Haec omnia suppeditarunt ei satis copiosam materiem ad amplificandum exornandumque opus, quod quia totum versatur in Graecis rebus, proprium ex iis habuit titulum: inscribitur enim *Ad Graeca Pandectarum*. Maximas vero gratias et agere et habere debemus Guadagnio, quod quinquaginta et amplius annos, quibus Doctoris munus in Academia Pisana sustinuit, qua voce, qua scriptis cultiorem juris prudentiam provehere maxime studuit, in qua quod princeps et signifer fuerat Cujacius, tantum huic tribuebat, ut tanquam numinis alicujus oracula omnia illius dicta habere videretur. Proinde siqui sunt artifices ad corrumpendam juventutem, qui, quod multitudo litium, va-

rietas caussarum, turba et barbaria forensis dat locum et quaestum vel impolitissimis jurisconsultis, clamare solent supervacaneam esse, et usum non habere in juris prudentia Graecam et Latinam eruditionem, notitiam antiquitatis, doctrinam philosophiae et naturalis juris, rogemus ut sileant, postquam aetas nostra jam ad ea patienda, quae veteribus scholis perplacuere, exolevit, nosque sinant amplecti atque exornare, quae nobis summi viri omnibus bonis artibus politi et ad juris prudentiae gloriam nati tradiderunt. Sed ad Guadagnium revertamur, qui cum instituisset multa, quae politius limare et perficere optabat, oblectamenta senectutis sibi parasse dicebat. Sed hae fuerunt inanes cogitationes, quamvis in Academia, ad quam flos juventutis concurrit, plures studiorum suorum adjutores invenire potuisset. Semper tamen ejus mens alebatur discendo, volutandisque Graecis et Latinis scriptoribus. Alexandram tenebricosissimi Lycophronis magna ex parte in Italicum vertit, et alia hujusmodi inchoata reliquit. Quod vero magna esset opinio de illius in Latine scribendo e-

legantia, saepe rogabatur, ut inscriptiones, titulos, elogia mortuorum, epigrammata, ceteraque hujus generis conderet, quae libentissime concedebat. Quidquid profecto scriberet, antiquitatem redolebat; sed nunquam clarius apparuit quam concinnus et elegans esset Latinus scriptor, quam in iis, quas Academiae jussu dixit, orationibus, quaeque sunt in manibus hominum. Altera est *de laudibus Josephi II.* cum Romanorum Rex creatus fuit; altera *de periculis ex copia subsidiorum in litterarum studio cavendis*. Quae tam ingratae fuissent litterae, quae conticescerent felici adeo faustoque tempore, quo multum jactata Austriacae domus fortuna praesidia stabilitatis suae adepta fuisse videbatur? Academia Pisana singularibus a Francisco Caesare aucta beneficiis, officium gratulationis lubens meritoque persolvit, ac vehementer gavisa est, cum intellexit se prudentem in judicio et gratam in munere habitam fuisse, quod mandasset Guadagnio, ut orationem diceret, editamque in vulgus ipsi Caesari nuncuparet. Usus est quidem in ea sententiarum gravitate, verborumque ponderibus, sed cum ei de-

esset

esset flumen illud ingenii, illa vis, ille sensus, quibus legentes audientesque rapimur, inflammamur, commovemur, laudamus magis, quam admiramur. Guadagnii eloquentiam, ad quam enervandam valebat etiam frequens alienorum dictorum factorumque commemoratio. Qui jurisconsultorum mos magis etiam apparet in ea, quam secundo loco, sed praepostere, supra nominavimus, oratione. Verendum sane erat, ne subsidiorum copia, quae ad comparandas bonas artes hac aetate plurima suppetunt, retardarent magis, quam inflammarent adolescentium industriam. Nihil enim est tam sapienter inventum, nihil tam utile, quod vel ignavia perdere, vel stultitia in perniciem convertere non audeat. Dolens itaque Guadagnius esse multos, qui abutentes librorum copia, et iis praesertim, qui facilem, et quasi compendiariam ad sapientiam se viam monstraturos promittunt, ne malum latius manaret atque inveterasceret, eos convincendos suscepit, minime qui multa, sed qui utilia legerit sapientis nomine esse censendum; tardi ingenii esse rivulos consectari, fontes rerum non videre, ac-

mulandam majorum nostrorum diligentiam atque industriam, qui in litteris Graecis atque Latinis addiscendis, qui in noscendis, perscrutandis, pervolutandis gravissimis auctoribus et magistris intelligendi atque dicendi, quique in jaciendis stabiliendisque disciplinarum fundamentis omnem aetatem contrivere. Illi, qui epitomas, qui versiones, qui dictionaria, ut loquuntur, amant, questi sunt cum Guadagnio, quod extorquere e manibus hominum conatus esset utilissima instrumenta, quae, licet per ea minime assequamur quae sunt recondita et abstrusa in litteris, efficiunt tamen ne harum plane rudes simus et ignari, et ne facile decipiamur ab iis, qui fallacissime venditant ingenium atque doctrinam. Horum voces haud omnino contemnendas esse putavit Guadagnius; quare ut cum iisdem in gratiam rediret, alteram dixit orationem, qua non Carneadeo more quod in priori probaverat oppugnavit, sed hujus severitatem mitigavit, ut vel eorum assensionem captaverit, qui diuturnum laborem reformidantes nil curare videntur, nisi ut leviter tincti sint litteris. Sed haec ora-

tio minime in vulgus est edita, cum vereretur fortasse Auctor, ut quod dixit non perinde intelligeretur a doctioribus, atque ipse senserat. Nec sane verisimile erat, hominem, qui, quoad vita suppeditavit, egit acerrime, ut non solum juris prudentiae, sed et interiorum litterarum penetralia sibi paterent, blandiri voluisse discipulorum timiditati atque ignaviae. Quod in se ipso esset expertus quantum ad percipiendam colendamque virtutem adjuvare possunt litterae, saepe et libenter carpebat nonnullorum malitiam, qui iis ita abutuntur, ut teneros animos avocent a religione, eorumque dolos, machinas, fallacias, praestigias dum patefaciebat, se nihil tam studuisse ostendebat, quam ut secum semper adesset pietas in Deum, in homines caritas, reliquaeque virtutes, in quibus perfecti Christiani laus continetur. Minime mirabetis hominem gravitati deditum frequentasse theatra. Mirifice enim delectabatur musica, neque indignum sapiente existimabat paullisper relaxare animum, et dare se jucunditati. Adde quod cum lumen lucernae diu ferre non possent ejus oculi, nec aliud

haberet, quo senectutem suam oblectaret, aurium sensui aliquid se posse dare arbitrabatur. Verum, ut ut haec judicentur, cavit semper Guadagnius ne quid ageret aut diceret, quod dedecere prudentioribus videretur. Omnino si quicquam est decorum, nihil est profecto magis quam aequabilitas universae vitae, tum singularum actionum, quodque ita vixerit Guadagnius ad LXXXI. usque annum, ut ejus vel primum aetatis tempus palam fuerit ad castimoniae, integritatis atque innocentiae exemplum divulgatum, semperque in rebus optimis constans virtutum laude creverit, non tam praeconio, quam admiratione dignum existimamus. Aliorum gloriae ac laudi tam aberat, ut invideret, ut illi vitio verteretur, quod effusius favere videretur vel iis, qui mediocriter docti erant. Cum animum gereret apertum et simplicem, simulationem dissimulationemque ex omni vita tolli optasset. Verum, quoniam non vivitur cum perfectis hominibus, is, qui ceteris cavere didicerat, non satis sibi, ne deciperetur, cavit. Parsimonia et diligentia delectabatur, quarum fructus aut pauperes, aut

propinquitatibus affinitatibusque conjuncti percipiebant. Ad omnem humanitatem facilitatemque proclivis facile sibi parabat amicos, retinebatque fide et caritate singulari. Vel desertus ab nonnullorum officiis, quorum famae parco, dum illos non nomino, in sua erga ipsos voluntate permansit. Sic se gerendo bonam famam bonorum, quae sola vere gloria nominatur, consecutus est, tantumque ei tribuebatur, ut in ejus consilio antiquae residere virtutis memoria videretur. Robur ejus animi nec senectute, nec valetudinis incommodis fractum aut imminutum est. Sancte ac placide, uti vixerat, mortem obivit. Hanc fortasse maturavit gravis cibus, quo ventris fluxiones, quibus saepe laborabat, sanari posse speravit. Adfuit morienti ejus frater, heres et collega Carolus Guadagnius, homo doctrina in physicis rebus clarus, qui ut memoria posteris proderetur meritorum illius in se, in litteras atque in Academiam Pisanam, cenotaphium eidem posuit in sepulcreto, quod *Campum Sanctum* dicimus, in quo haec vere magis, quam eleganter scripta leguntur.

Digitized by Google

LEOPOLDO . ANDR. GVADAGNIO
CIVI . FLOR.
IOSEPHI . AVERANII . JVRIS . CAESAREI
ET . ANTONII . MARIAE . SALVINII
GRAECAR. LITTER. ANTECESSORVM
AVDITORI . SOLERTISSIMO
JVRIS . PRVDENTIAM
ET . PANDECTARVM . INTERPRETATIONEM
IN . PISANO . ARCHIGYMNASIO
LIII. ANNOS . PVBLICE . PROFESSO
LITTERARVM . OMNIVM . MAGIS
RECONDITARVM . PERITISSIMO
DOCILI . PROBO . MITI . PIO
LXXXI. AN. NATO
CAROLVS . ALFONSVS . GVADAGNIVS
IN . EADEM . ACADEMIA
EXPERIM. PHYSICES . PROFESSOR
FRATRI . AMANTISSIMO
PRID. NON. MART. AN. AERAE CHRIST.
MDCCLXXXV. DEMORTVO
M. P.

Digitized by Google

Angelus Fabronius
Guidoni Savinio
Academiae Senensis Curatori

S. P. D.

Quantum ex historia percipiatur jucunditatis et fructus, nemo est qui ignoret, a qua siquis abhorrere se dicat, parum aberit, quin ipse se ne hominem quidem esse fateatur. Vel ipsi pueri, in quibus naturae vis maxime elucet, narratiunculis delectantur; homines vero vel agrestiores scire aliquid semper cupiunt earum rerum, quae gestae sunt, quas qui narrare solent opportune et in loco, quamvis non utantur sermone historico, sed quotidiano, eorum omnes colloquia congressusque requirunt. Sed de jucunditate suo quisque sensu judicare facile poterit, de utilitate non item. Mitto jam quod ille apud Platonem Aegyptius Sacerdos Soloni dixisse fertur, semper pueros esse, qui vetustatis cognitione careant: illius quidem omnium humanarum rerum moderatricis prudentiae, unde major vis

Digitized by Google

quam ex historia colligi potest? Quanquam non certa quadam et immutabili lege omnes res humanae reguntur, magnaque earum varietas et inconstantia est, plerumque tamen e similibus similia existunt, neque ulla certior regula est judicandi quo quaeque res evasura sit, quam considerare quid praeteritis temporibus acciderit, quidque ex iisdem fluxerit caussis: inde quod divinare, quod imitari, quod vitare debeas capies. Porro is, qui diu diligenterque pervolutaverit historiae monumenta, se non unius circumdatum moenibus loci, sed civem totius mundi agnoverit, videbiturque sibi omnibus aetatibus vixisse, omnes regiones perlustrasse, omnibus publicis consiliis interfuisse, atque omnia, quae unquam contigerunt, spectasse, et dum contemplabitur omnis exempli documenta, vere dictum fatebitur historiam esse testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, magistram vitae, nuntiam vetustatis. Quondam historia nihil erat aliud nisi annalium confectio, quibus sine ullis orationis ornamentis monumenta temporum, hominum, locorum gestarumque rerum mandabantur. Graeci omnium fere doctrinarum atque artium inventores addidere historiae eloquentiam, et post Herodotum, qui prin-

Digitized by Google

ceps genus hoc ornavit, omnes, qui otium suum in scribenda historia consumpserunt, non tam instruere, quam delectare sibi proposuerunt lectores compositione verborum et copia varietateque sententiarum. Sero Romani Graecorum exemplum secuti sunt: nam, teste Cicerone, nec Cato, nec Pictor, nec Piso tenuerunt, quibus rebus ornetur oratio, et quamvis Antipater majorem sonum vocis addiderit historiae, nullo tamen modo aut cum Thucydide, aut cum Theopompo et Ephoro, qui duo ex Isocratis schola prodierunt, aut cum Xenophonte Socratico, aut cum Callisthene Aristotelio fuit comparandus. Admonere tantummodo reliquos potuit, ut accuratius scriberent; verum qui illi successere, Gellius, Clodius, Asellio, aliique antiquorum languorem atque inscitiam consectati sunt, et narratores rerum, minime vero exornatores fuere. Cum omnium oculi in ipsum Ciceronem conjecti essent (quis enim magis quam orator formare orationem potest, eamque variare quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus?) et ab eo, quippe homine eloquentissimo, non modo postulare, sed et exigere viderentur, ut quod deerat Latinis litteris ipse suppeditaret, respondebat se hoc munus

patriae libentissime perſoluturum, si sibi ullum tribueretur vacuum tempus et liberum, quod res tanta suscipi non posset occupata opera, impeditoque animo, nec absolvi, nisi diuturno tempore maximoque labore. Quod a Romanis fuit relictum, perfecit tandem homo Patavinus, qui cum ab ultimis temporibus scribendi coepisset exordium, feliciter adeo tractavit Romanam historiam, ut in hoc etiam genere populus omni praeclara arte florentissimus nihil Graeciae concederet. Jungens ille eloquentiam cum prudentia, res non modo granditer narrat, ornat ubique, ac praesertim in iis concionibus, in quibus illae undae populares velut mare profundum atque immensum quodam quasi aestu effervescere videntur, sed etiam sapienter animadvertit quae vita, qui mores fuerint, per quos viros quibusque artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium fuerit; quomodo, labente paullatim disciplina, immutati sunt mores, deinde ut magis magisque lapsi sunt, tum ire coeperint praecipites, donec ad ea tempora, quibus homines nec vitia, nec remedia pati potuere, perventum est. Est in magnis imperiis admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum, sunt varii eventus, qui ab aliis pendent,

sunt varii mores, ac propterea varia fortuna, dominantur in iis modo studia bonorum, modo pravorum cupiditates, sunt jura et leges, quas aut aequitas, aut ambitio peperit; et qui caussarum omnium animo perspexerit colligationem, qui quae inter se distantia videntur, quomodo copulentur noverit, qui ad sensus voluntatesque hominum penetrare, deque eorum consiliis et actionibus recte judicare didicerit, qui liber sit a metu atque spe ne quid veri dicere non audeat, quique adeo in scribendi arte profecerit, ut facta dictis exaequare, lectoremque delectare, atque apte instruere queat, is ad perfecti historici laudem poterit aspirare. Livius et Sallustius hoc maxime digni nomine existimantur. Magnus quoque est pictor Tacitus; et quia in picturis alios laeta et collustrata, alios horrida et opaca delectant, genus quoddam scribendi adhibuit acre atque vehemens, ac si ad eas ruinas, quibus Tiberii temporibus oppressum erat Romanum Imperium, aliquod acerbitatis addere voluisset. Creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur, ita pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. Nihilo tamen minus

*magis excellere videtur in detegendis latebris hominum voluntatum vitiorumque, quam in patefaciendis caussis motuum, fortunae, mutationumque imperii. Illa de Arminio, quem floren*tissimum imperium *sub Tiberio lacessivisse dicit, illa de Nerva, quem res olim dissociabiles, principatum ac libertatem, miscuisse affirmat, illa de Trajano, quo imperante, ait securitatem publicam non spem modo ac votum, sed ipsius voti fiduciam ac robur assumpsisse, indigna historico videntur, qui ignorare haud debet, cur ea, quae praeterierunt, facta sint, et ea, quae instant, fiant, et ea, quae consequentur, futura sint. Nam vita et salus imperiorum uni virtuti debetur, et ubi tyrannis, foeda vitia, malaeque artes dominantur, omnia sine ulla spe ad interitum ruere necesse est. Inter Latinos historicos Caesar etiam suspiciendus est ob elegantiam, perspicuitatem, brevitatemque, qua res a se gestas narrat. Ex ejus commentariis facile est divinare qui esset status Romanae Reipublicae, hanc magnitudine sua jam laborantem ad breve exiguumque tempus duraturam, et quae ad eamdem evertendam admirabilis ille temporum et personarum moderator meditabatur. Illum legens,*

nusquam adhaeresces, disces semper aliquid, semper delectaberis, et vere de illo judicatum esse affirmabis, quod dum voluit alios habere parata unde sumerent qui vellent ſcribere hiſtoriam, sanos quidem homines a scribendo deterruerit. Postquam Mediceorum praesertim opera Latinae litterae ad novam, ut ita dicam, vitam revocatae fuerunt, multi sane extitere, qui Latinos historicos non solum imitari, sed etiam aemulari ſtuduerunt. At quamvis cultiores Europae populi ſuos in hoc genere efferre poſſint ſcriptores, magnos illos quidem, uti Thuanos, Sleidanos, Oſorios, Camerarios, Grotios, Buchananos, Marianas, Itali tamen, ut ego judico, ceteris et copia et praeſtantia ſuperiores fuerunt. Pauci imitati sunt Sallustium, plurimi Livium, quidam Caeſarem, nulli, quod fortaſſe mireris, Tacitum, quod aut noluerunt, aut, quod veroſimilius est, non potuerunt. Perplacent mihi praeſertim ii, qui nudum illud, et rectum et venuſtum ſcribendi genus, quod tantopere in Caeſare admiramur, ſecuti ſunt. Nihil eſt enim in hiſtoria, ut ait Cicero, pura et illuſtri brevitate dulcius. Ex his, siquid ego judico, praestant Petrus Bembus et

*Caſtruccius Bonamicius, quorum alter majorum memoria, alter noſtra floruit: quanquam Bonamicius interdum ornatius dicit, quam simplex expositio geſtarum rerum ferre videatur. Sunt enim quaedam in hiſtoria, quae ornamenta aut verborum, aut ſententiarum requirunt, ut, tanquam pictae tabulae, bono in lumine collocentur. Miror equidem Jo. Lamium virum judicio eruditiſſimum ſecus de Bonamicio judicaſſe. Fortaſſe illum ferociorem fecerunt praeclara de eodem teſtimonia, et dum minima inquirit et carpit *, nullam probabilem rationem reddit, cur ille in optimis hiſtoriae ſcriptoribus pure et prorſus Latine loquentibus non ſit numerandus. Sed Lamianorum rumor raucus jam factus eſt, et Bonamicii nomen vivet, dum honos habebitur Latinis litteris, quae utinam apud nos diu vigeant, nec abripi nos ab iis unquam ſinamus vocibus illorum, qui magis audacter, quam perite affirmant, non peregrinos modo, ſed et barbaros fore in a-*

---

* *Vid.* Novelle Letterarie pubblicate in Firenze an. 1746. Tom. VII. p. 667. et an. 1751. Tom. XII. p. 381.

liena civitate , ſi alia quam noſtra lingua in ſcribenda hiſtoria utemur . Jucundum quidem mihi eſt vitam declarare Bonamicii ea lingua , quam ipſe prae omnibus excoluit , atque hoc commentariolum si tibi probabitur , qui judicio et doctrina polles , ſatis contra Latinae linguae hostes et munitus et ſeptus mihi eſſe videbor . Vale ; et mihi ignoſcas volo , ſi de viris doctrina excellentibus ſcribens cogitem

. . . . Si qua me quoque poſsim
Tollere humo .

Id enim voto meo ſufficit : illud ſupra votum

. . . Victorque virûm volitare per ora
Quanquam ô !

Sed hoc ſatis eſt , quod prope ſola historia (vides me C. Plinii Caecilii Secundi uti verbis) polliceri videtur .

Pisis Kal. Ian. MDCCLXXXVI.

Castruccius et Philippus Bonamicii Fratres.

Lucensium Civitas, quae semper floruit viris doctrina praestantibus, duos hac aetate tulit historicos Vincentium Lucchesinium et Castruccium Bonamicium, quorum alter feliciter adeo Livianam majestatem, alter Caesarianam elegantiam expressit, ut omnes fere, qui id post renatas litteras tentarunt, superasse videantur. Natus ille nobilissima familia, cautus, prudens, religiosus et castus, famam, quam illi litterae pepererunt, muneribus fortunae et virtutis auxit, hic celebritatem nominis a litteris tantummodo obtinuit, quae splendescebant fortasse hac ipsa de caussa magis in eo, quod alieno omni ornamento; si tamen virtus a litteris sejungi potest, spoliatae essent. Ad has ab ineunte aetate durior visus est, quod non fastidiret modo, sed pene horreret grammaticorum tricas atque ineptias. Ut vero coepit intelligere ab optimis scriptoribus posse et debere repeti grammaticae praecepta,

et

omnem scribendi elegantiam, iis totum se se dedidit. Ipse, ut erat avidissimus legendi, et memoriam singularem habebat rerum et verborum, scriptores cursim percurrebat quoscumque, habitabat autem et pernoctabat cum Cicerone, Caesare, Horatio atque Virgilio.. Nam non eloquentiae modo studebat, sed etiam poesi, et cum verba et vim eorum, quos sibi proponebat ad imitandum, exprimere satageret, clarius explendescebat, quam generosi condiscipuli et vel praeceptores ipsi ferre possent. Attigit quoque Italicam poesin, et contempsit eos poetas, quibus tenues sunt copiae rerum, quamvis elegantia sermonis commendentur. Varietatem enim, magnificentiam et robur tam esse propria poesis arbitrabatur, ac si sine iis nulla esset; sciscitantibusque quem scriptorem potissimum imitaretur, respondebat se Dantem et Petrarcham ceterosque non Italos modo, sed et Latinos probatissimos sic respicere, ut ex multorum virtutibus suam quamdam propriam formam efficeret, quae novitate ipsa commendaretur. Tali modo confecto studiorum curriculo in patrio gymnasio, Pisas a

patre missus est, ut in ejus civitatis Academia philosophiae et juris prudentiae operam daret. Praeceptorem habuit juris civilis Salvatorem Olmetam Corsum hominem, qui licet non multa doctrina esset ornatus, maxime tamen putabatur idoneus ad inflammandos adolescentes acri et vehementi quadam incitatione. Frequentavit Guidonem Grandium, qui tum Italorum mathematicorum princeps habebatur, et erat. Sed praesertim audivit illos, qui humanioribus litteris excellere putabantur, quod has ad omnem vitam omnemque aetatem plurimum habere et adjumenti et ornamenti Bonamicius existimabat: nam cum legimus delectant, cum scribimus sunt necessariae. Cum minus ei probarentur, qui tum celebrabantur, philosophiae magistri, quod Gassendum tanquam ducem et signiferum sequebantur, quasi diuturnam sitim explere cupiens adiit libros Baconis a Verulamio, Lockii, ceterorumque philosophorum, quibus maxime Britannia gloriatur. Suspexit vero in iis non tam doctrinam, quam libertatem (quin de nonnullis licentiam dicam?) scribendi, solitusque erat appellare Britannos

prope jam solos vindices humanorum jurium et fugientis libertatis custodes. Post haec eum jussit pater versari in judiciis et forensibus concertationibus, idque se facturum asseveravit Bonamicius ad sustentandam familiae egestatem. Sed cum coepisset iracundius respuere ineptias Pragmaticorum sive morose, ut putabatur, sive ingenuo liberoque fastidio, neque a se obtinere posset, ut ullum cum iisdem commercium haberet, aliud iter atque aliam fortunam sibi tentandam esse putavit. Romam itaque cogitavit tanquam communem quamdam nationum, ac totius terrarum orbis patriam, ad quam omni tempore undique confluxerunt viri ingenio atque doctrina praestantes praemia virtutis a communi parente postulaturi. Eo cum venisset, nullo conciliatore, gratiam aucupatus est Cardinalis Nerei Corsinii, cujus summa erat potestas, Pontificatum Maximum illius Patruo Clemente XII. gerente. Amabat litteras Corsinius, atque ut in Bonamicio ingenium elucere vidit, ipsum ad laborem atque laudem excitavit. Factum vero ejusdem commendatione, ut Aeneas Sylvius Piccolomineus, qui

Pontifici erat a Latinis epistolis, illo tanquam studiorum et muneris adjutore uteretur. Quaerebat Piccolomineus ex elegantia Latine scribendi plausum et gloriam, et cum in vulgus edidisset Latinam orationem habitam in funere Friderici Augusti Saxonici Poloniae Regis, nobilem illam quidem et splendidam, sibi famam elegantissimi scriptoris confecisse gloriabatur. Sed Bonamicius ad omnem sermonem liber tenere se non potuit, quin aperte palamque affirmaret, se illius orationis opificem habendum; quam ob rem indignatus Piccolomineus eum domo sua abire jussit. Quae priusquam acciderent, sui oratorii ingenii jam periculum fecerat Bonamicius. Latinas enim ediderat orationes duas, de laudibus Pontificis alteram, et pro Latii Academia, Melchiorre Polignachio auctore, instituta alteram. Quibus in orationibus impetus licet esset ingenii, et inchoata quaedam a natura eloquentiae imago, non vero perfecta, atque ex multarum rerum cognitione eflorescens, laudarunt tamen eas docti homines, atque indolem adolescentis ad magna nati excitandam esse arbitrabantur Pon-

tificis liberalitate. Bono eum esse animo jubebat Corsinius Cardinalis: spes aliqua ei ostendebatur a Cardinali Alberonio, si illius vitam ita describere voluisset, ut ejusdem magis ambitioni, quam historiae legibus serviret; nec deerant, qui, proposita mercede praemiorum, ejus operam in scribendis epistolis requirerent. Verum seu quod Urbanae fortunae cautiores et moderatiores homines desiderent (nam Bonamicius morae impatiens et natura inconstans eos laedebat interdum, quos antea laudaverat) seu quod miserrimam omnino esse putaret ambitionem honorumque contentionem, Urbem deserere deliberavit. Peropportune tum cecidit, ut femina Angla nobilitate, forma, ingenio atque opibus clara eum habere concupiverit Latinae linguae magistrum et itinerum socium. Cum huic obsecutus fuisset, et multas Italicas urbes peragrasset, et Patavii etiam aliquandiu consedisset captus praesertim Dominici Lazzarinii doctrina, quem mortuum postea elegantissimis Latinis versibus laudavit, ne servituti (sic enim observantiam appellabat) assuesceret, se se in libertatem

vindicavit. Dum commorabatur cum ipsa femina in Etruria, timere debuit Fidei Quaesitorum severitatem ob licentiam sermonum. Nec sane vincula ulla ejus linguae injici posse videbantur, sive jocaretur (sales enim et aculeatas facetias amabat) sive de seriis rebus loqueretur, solitusque erat dicere Dei concessu atque munere datam hominibus libertatem, hujusque proprium esse sic vivere, sic loqui, ut volumus. Quam licentiam cum nunquam sibi praecidere vellet, quid erat, quod de inclementiore fortuna saepe quereretur? Vere enim dictum videtur: *sui cuique mores fingunt fortunam*. Non necesse arbitror recensere quam multa, quam varia, quam acerba perpeti debuerit Bonamicius, donec meliora per militiam sperare coepit. Quasi istud novae vitae initium esset, Petri Josephi nomen, quod datum ei fuit, cum an. MDCCX. in lucem venit, in illud Castruccii, ad renovandam, credo, Castruccii Castracani civis sui nobilissimi memoriam, commutavit, atque hoc praesertim litteratorum reipublicae notus esse videtur. Nam quae antea in vulgus sparserat seu car-

mina seu orationes, quanquam non minimi fuerint ad hominum famam, nullo tamen modo sunt comparanda cum iis, quae bellorum caussa scripsit, quibusque effectum est, ut non Latinus historicus unus e multis, potius inter multos prope singularis fuisse judicaretur. Bellum Italicum a morte Caroli VI. Caesaris Borbonios inter atque Austriacos conflatum ancipiti jampridem marte ducebatur. Spoliare Carolum Borbonium Siciliae ac Neapolis regno, quod infeliciter decennio ante amiserant, Austriaci meditabantur, eaque propter armorum impetus ac furor ad Velitras diutius consedit, quae urbs a fortuna jam delecta esse videbatur, ubi exercituum vires atque artes palam ostenderentur, et extrema fortuna tentaretur. Is belli Veliterni exitus fuit, ut Carolus Rex, qui illi praefuit, Austriacos, magna accepta clade, aufugere coegerit, ac ipse victor maxima populi acclamatione Neapolim redierit. Haec Bonamicius, qui ejusdem Regis castra secutus fuerat merens stipendia sub Sanctacrucio Morillii Comite, et in exercitu Neapolitano Terraconensis alae Praefecto, digna

putavit, quae historiae monumentis per se mandarentur. Neque haesit qua praesertim lingua uteretur. Confidebat enim, si res ad Velitras gestae Latinis illustrarentur litteris, fore, ut latius dimanaret Ducis fama: praeter quam quod ei erat persuasum bellorum praeliorumque narrationes Latino sermone conscriptas altius quodammodo assurgere, et majorem inde assumere gravitatem et decus. Nihil sane nobilius, nihil elegantius libro, quem his de rebus anno MDCCXLVI. in vulgus edidit, et Trajano Aquavivae Cardinali amplissimo praefatione tanti viri majestate digna dedicavit. Nescio equidem an quicquam in hoc genere extet, quod cum eo comparari possit; et hic unus commentarius satis esset ad convincendam stultitiam recentiorum Gallorum, qui, cum in Latinis litteris hospites sint et peregrini, frustra eos laborare affirmant, qui illarum subsidio magna exprimere, et lectores in admirationem traducere confidunt. Non plausus modo, sed et praemia ex suo labore obtinuit Bonamicius. Nam relatus inter milites custodes Regis fuit, et ab eo grandi pecunia donatus,

Is quidem videbatur etiam ad eam laudem aspirare, ut non solum facta aliorum scribere, sed et fortia ipse facere posset. Sed nos in Bonamicio scriptorem, non auctorem rerum suspiciendum putamus, quanquam suspicari quis possit bellicam virtutem et scientiam illi non defuisse ex iis orationibus, quas Etrusco sermone habuit Neapoli coram lectissimos Duces: altera enim novam quamdam bellandi rationem suadebat; altera militarem Academiam recens institutam collaudabat. Porro qui utrumque praestiterit, hunc ex maxime raro hominum genere judicare debemus; sed Graecorum Romanorumque exempla hodierni Duces, quamvis bellandi virtute veteribus non sint inferiores, commendant magis, quam aemulantur. Concitatus Bonamicius amicorum cohortatione, ut in posterum famae diligentius serviret, iterum edere commentarium de rebus ad Velitras gestis, novam historiae materiem quaerere, et cum omnibus Musis rationem se habere cogitavit. Sed morum facienda erat mutatio, si parem ejus ingenio fortunam invenire voluisset. Cum e re sua et Philippi majoris

natu Fratris esse existimasset conciliare sibi benevolentiam Benedicti XIV., quo sane nemo sapientior, nemo doctior, celebrior nemo Pontificatum Maximum gessit, hujus laudes persecutus est splendida praefatione (nam sententiarum ornamentis et conformationibus omnibus praestat) qua secundam editionem historiae belli Veliterni illi nuncupavit. Gratum fuit Pontifici munus, quod laudum cupidus esset, et quod nemo tam sit aversus a litteris, qui non mandari iis aeternum laborum suorum praeconium facile patiatur. Quam ego lauream cum laudatione, aut quod telum cum vituperatione Bonamicii conferam? Saepe is in hujusmodi scriptionibus exercebatur, et mirabantur omnes illum posse non solum verba, sed vim exprimere Latinorum, quos sibi ad imitandum proponebat. Et sane quis illo magis Caesarianam elegantiam in historia, Ciceronianam majestatem in praefationibus, Horatianum robur in sermonibus, Catulli veneres in elegiis effinxit? Italicam quoque excoluit linguam, cujus utilitatem, elegantiam atque dignitatem efferens quadam oratione, in La-

tinam, quod mireris, multa dixit. Sed hanc orationem scripsit non quo aperiret sententiam suam, sed ut concertationis studio oppugnaret alienam, solitus Carneadeo more modo hoc, modo illud defendere; in quo sane ejus ingenii magnitudo elucebat. Jam id gaudebat, quod nomen suum longe lateque vagaretur, quodque gloriae amplificandae occasionem sibi dedisset Carolus Neapolitanorum Rex jubens eumdem illam Italici belli historiam Latine conscribere, quae consequebatur res apud Velitras gestas, quaeque Aquisgranensi pace, et Nicaeensi in Italia conventu terminabatur. Ea propter iter in Cisalpinam usque Galliam suscepit, ut et locorum, ubi majori ex parte bellum illud gestum est, perspecta natura, et hominum, qui eidem interfuerunt, explorato testimonio, non minus diligentiae, quam veritati consuleret. Opus sane memorandum ob fortunae varietatem, ob acerrimas pugnas, ob magnitudinem exercituum, ob claritatem Imperatorum, ob defensam strenuissime libertatem vel ab iis, qui imbelles putabantur, et ob pacem repente conclusam otiosis ma-

gis optandam, et defatigatis necessariam; quam cuiquam opportunam aut gloriosam bellantium. Totum autem opus tres in libros Auctor divisit, quorum primum in Caroli Regis, secundum in illius fratris Philippi Borbonii, tertium in Senatus Genuensis nomine apparere voluit. Quae duae res maxime historiam commendant, veritatem atque libertatem in illa scribenda se semper retinuisse profitetur Bonamicius. Sed homini, qui sub Borboniorum signis militabat, et qui iis beneficiorum vinculis erat obstrictus, nullius partis esse minime licebat, et quae adversus Austriacos dicit, inimico animo illum dicere facile judicabis. Quapropter multorum offensionem timere debuit; sed in primis Antoniottus Botta optare videbatur, ut ille temeritatis suae poenas daret. Etsi quae fuit temeritas laudare fortitudinem, et si vis etiam ferociam civium, qui pro defensione avitae libertatis pugnarunt, vellicare imprudentiam Ducis, qui ignorans, quid in animis servitutis jugo minime assuetis possit libertatis amor, se eos nullo negotio domiturum, atque nil ipsis nisi oculos ad lacrimandum relicturum

superbe jactabat? Ut facilius ac certius res Genuensium cognosceret, Castruccius ad eorum urbem venit, nec satis dici potest quam liberaliter ab iis fuerit tractatus, qui sibi honorificentissimum fore judicabant mandari eleganter atque libere scriptis multa praeclara, quae pro patriae salute et dignitate gesserunt, ut non iracundiam injustam, sed meritam ac debitam fuisse constaret, utque memoria defensae, et exemplum defendendae libertatis posteritati proderetur. Profecto divinae cujusdam virtutis fuisse videtur ferocientem armorum insolentia plebis faecem continuisse, eamdem hostium reditu dejectam excitasse; sociis praesidium, civibus salutem attulisse, atque hostibus ipsis egregiam in foedere fidem, singularemque in bello constantiam ostendisse. Dum autem Castruccius consilia, acta, eventus omnis Italici belli describit, dum eos laudat, qui prudentia, virtute, solertia, fide atque constantia inclaruere, talem se scriptorem ostendit, ut non potuerit nisi a se ipso (sunt enim qui praeferunt commentarium de rebus ad Velitras gestis hisce de bello Italico commentariis) superari.

Hanc artem magnam habere difficultatem ex eo intelligi potest, quod Bonamicius multam commentationem atque meditationem adhibebat, antequam stilum verteret, et multas saepe horas laborabat, ut elegantiores dicendi modos inveniret, quanquam, sicut initio docuimus, ea esset memoria, ut nihil legeret, quod non in illa penitus insidere videretur. Praeter munus pecuniae, quod ei satis large dederunt Genuenses ob confectam historiam Italici belli, annulum magni pretii a Philippo Borbonio accepit, et Comitis titulo honoratus est. A Neapolitanorum vero Rege Praefectus Fabrûm extra ordinem, et in oppido Barolo Quaestor perpetuus creatus est. Sed Principum donis non utebatur ut frugi ac temperans homo: profundebat quod habebat, sicque totam fere vitam in egestate degit. Audivi saepe illius fratrem Philippum querentem quod coactus fuisset sustinere intemperantias, sumptus, ac miserias non modo fratris, qui tamen illi erat carissimus propter ingenii bona, sed etiam feminae humili et obscuro loco natae, quam Romae dum erat (erat autem frequentissime vel post il-

lud tempus, quo ad Neapolitanorum Regem militatum abiit) in matrimonium duxerat. Ita fere sunt magna ingenia, ut negligant quae sunt prudentis hominis officia, in quibus exequendis vera gloria, felicitas vera continentur. At licet Bonamicium bona, quae in virtutibus sita sunt, modice tangerent, ii tamen, quibus utebatur familiaribus et quotidianis convictoribus, suspiciebant in ipso fidem, animum ab avaritia, ab invidia, ab assentatione, a gratia, a mendacio alienum, in notandis ceterorum vitiis acrem, in suis confitendis ingenuum, et ita apertum, ut nihil in ipso lateret. Famam certe ex eo quaesivit Castruccius, quod amicitiae officia diligenter sancteque coluit, et multorum benevolentiam ad vitae usque exitum retinuit. Amatoriis vero levitatibus deditus, in his inconstantiam probare videbatur, nec sane poetice lusit, cum ad Guidonem Savinium scribens dixit fuisse testes suorum amorum Padum, Tyberim, Tarum, Sebethum, Arnum, et praesertim Arbiam, quod est Senensium flumen. Absens amicos saepe compellabat tum Etruscis, tum Latinis carminibus, quorum

nonnulla typis impressa fuerunt ad declarandum poeticum ejusdem ingenium. Quod ex iis quidam fuerunt, qui se peti arbitrabantur a L. Sectani Q. F. ad Gajum Salmorium Sermonibus, Castruccius suae fidelitatis suorumque nervorum esse existimavit eorum defensionem arripere cum accusatione Jesuitarum, qui illorum Sermonum, magnarumque turbarum atque rixarum auctores esse putabantur, et erant. Carmen itaque confecit multa elegantia, multoque sale atque lepore conspersum, quod inscribitur: *L. Sectani Q. F. de caussis superiorum quatuor Sermonum Sermo I.* Simulavit enim se esse eumdem illum L. Sectanum suorum Sermonum caussas referentem: re autem vera in Sectanum illum ejusque socios acriter invehitur. Amicitiae etiam et aequitati binas consecravit orationes, quarum altera commilitonem suum Jo. Baptistam Guimbardium capitis reum egregie defendit, altera probavit non satis fuisse caussae, quare de fratribus Aviglianis uti homicidii reis praejudicaretur. Illud adhibuit dicendi genus, quod ad patrocinia mediocriter aptum illis videri potest, qui sententias

ex

ex aliorum dictis atque auctoritatibus concludunt, et incondite efferunt. Sed qui elegantiam, nervos forenses, atque oratoria ornamenta amant, magnas sane tribuent laudes hisce Bonamicii orationibus, sed praesertim Guimbardianae, quae his virtutibus longe alteri praestat. Laetus Castruccius hujus successu, facile sivit eamdem in vulgus spargi, beatas appellans illas civitates, in quibus eloquentiá primas tenet, secundas juris civilis scientia. Profecto ut hominis decus est ingenium, sic ingenii lumen est eloquentia, qua cum se valere intelligeret Bonamicius, libenter omnes captabat occasiones illius exercendae non solum ad salutem et conservationem hominum, sed etiam ad propriam gloriam. Interdum ingenii exercendi gratia crimina fingebat; et narratur mihi finxisse etiam aliquando factam fuisse Lucae conjurationem, et hanc ita descripsisse, ut Sallustiano modo conjuratorum mores effinxerit, conciones interposuerit, et laudes eorum extulerit, qui contra civium perditorum popularem, turbulentamque dementiam a Senatu et bonorum caussa steterunt. Mirum autem

minime videri debet, si ex hoc facto offensionem exceperit, quod eo indignius videbatur, quod a suis civibus nullo non tempore eximias erga se voluntatis significationes habuerat. Materies digna facultate et copia ejusdem esse videbatur narratio belli illius, quod inter Gallos Britannosque extiterat, quo in bello admirabilis sane fuit Gallorum virtus ob obsessam et captam minorem Balearem insulam. Fertur Rex ipse Galliae ab Rege Neapolis petiisse uti ad se Bonamicium mitteret, de quo audierat sic praedicari, illum vel veteribus se aequasse in claris et fortibus viris, et factis commemorandis atque describendis. Sed cum Neapolitanorum Regis interesset animum a studio partium alienum ostendere, facile illi fuit caussam recusandi invenire. Non est credibile quantum id doluerit Bonamicius, quod esset gloriae percupidus, et opum egentissimus; nec dubito quin id valuerit ad augenda valetudinis incommoda, quibus jamdiu coeperat affici. Ad haec levanda in patriam rediit, quod a Sebastiano Paullio Lucensi, quo medico et amico jamdiu utebatur, aliquid ad

spem ostendebatur. Sed malum inveteratum factum erat robustius vel ipsa medicina, quam inconsiderate adhibuerat Neapoli. Marina enim aqua intus inclusit, quod foras natura expellere coeperat. Qua ex re aqua intercus orta est, cujus morbo decessit VI. Kal. Martias an. MDCCLXI. Sepultus est in templo SS. Vincentii et Anastasii cum hac inscriptione:

Comiti . Castruccio . Bonamicio
Lucensi . Francisci . F.
In . exercitu . Neapolitano
Praefecto . Fabrûm . Extr. Ord.
Et . in . oppido . Barolo . Quaest. perp.
Magni . ingenj . et . nominis . viro
A . Carolo . Borbonio
Primum . Neapolis . et . Siciliae
Mox . Hispaniarum . Rege
Et . a . Philippo . Fratre
Parmensium . et . Placentinorum
Duce
Necnon . a . Genuensium . Republica
Quorum . res . Italico . Bello . gestas
Latinis . commentariis . illustravit

Singularibus . beneficiis . ornato
Qui . amissam
Diuturno . morbo . valetudinem
In . patrio . solo . curaturus
Summa . constantia . et . relligione
Decessit
An. ab . rep. sal. MDCCLXI.
Sext. Kal. Mart.
Vixit . ann. L.
Mens . IV. dies VI. hor. II. P. M.
Philippus . hujus . templi . Rector
Et . RP. Lucensis . negotiorum
Apud . Pont. Max. Procurator
Vincentius . I. C. et . Lugiensibus . Praefectus
Angelius . inter . custodes . corp.
Reg. Neapol. Ord. ducens
Comites
Fratri . desideratissimo
Et . sibi . suisque
Posterisque . eorum
MM. PP.
Qui . jacet . hoc tumulo . magnus
Castruccius . ille . est
Orator . Vates . Miles . et . Historicus

Digitized by Google

Ipse vero Castruccius fertur parasse sibi alteram inscriptionem, quae sic est.

Hic. jacet
Bonamicius. Comes
Qui. dum. personam. ludit
Militis. ducis. et. historici
Inanes. Regum. amicitias
Et. castra. sequutus
Castruccius. vocabatur
Deinde. gravissimo. oppressus. morbo
Valetudinem. quaerens
In. patrio. caelo
Mortem. et veritatem. invenit
Petrus. Josephus. Maria
Dici. et inscribi. voluit
Ut. quem. vulgus
Ludum. fortunae. appellabat
Scirent. omnes. esse
Divinae. misericordiae. trophaeum
Obiit XXV. Febr. MDCCLXI.

Optimus fuit portus poenitenti mutatio ingenii, ac vehementissimus dolor, quod sero intellexerit, pietatem, religionem, sanctita-

Google

tem, quae omnia pure et caste Dei numini tribuenda sunt, adeo ad vitae felicitatem conducere, ut prae iis cetera omnia flocci facienda sint.

Quoniam de Castruccio satis dictum putamus, non incommodum videtur non praeterire Philippum Bonamicium, quo facilius collatis utriusque studiis, qui praeferendus sit possit judicari. Hujus quidem vitam elegantissime exposuit Jo. Baptista Montecatinius, vir non tam nobilitate, quam ingenio clarus, quem ita sequemur, ut coarctemus, nostrum tamen interdum interponentes judicium, quae ipse dilatavit. Natus est Philippus Lucae X. Kal. Mart. an. MDCCV. Maria Felice Rigola et Francisco Bonamicio, qui honeste rem quaerebat tenui mercatura facienda. Fuere veteribus temporibus plures Bonamicii doctrina maxime illustres, quos cum gentiles suos fuisse affirmaret Bonamicius, laudi magis suae, quam veritati serviebat. Gloriosum ei profecto fuit hos atque alios aemulari, ut ejus quoque nomen immortalitati commendaretur. Apparebat in puero docile ingenium, et quem ad

litteras natura pepererat; voluntas et fortuna exercuit. Nam degens in Seminario Lucensi usus est praeceptore Sancte Pierotto; quo sane nemo aptior extitit ad inflammandos adolescentium animos ad gloriam. At theologiae praeceptorem habuit Joannem Fidelem Rigolam matris suae fratrem, cui quidem sic deditus fuit, ut adolescens tristem et severum senem omnibus aequalibus suis in familiaritate anteposuerit. Complures annos in Seminario commoratus est, quod in eo praefecti, ut loquuntur, et magistri humaniorum litterarum munere, postquam Pierottus e vita excessit, functus fuerit. Ea propter cum esset acceptissimus Fabio Colloredo Lucensium Antistiti, ab eo inter minores Sacerdotes maximi Templi cooptatus fuit, et adhibitus ad acta Synodi, quam habuit an. MDCCXXXV. Latine conscribenda. Sed illud majus fortunae munus fuit, quod in eam civitatem se contulerit, quae nobilitate, humanitate, doctrina praestaret omnes, et ei unus ante alios fuerit carissimus, cujus magnum erat in ipsa nomen, magna auctoritas. Nam Jo. Vincentius Lucchesinius cum esset summa senectute, cu-

peretque aliquem habere, quo adjutore in scribendis Pontificis nomine epistolis, et familiari uteretur, Bonamicium ad se se Romam vocavit. Domus autem Lucchesinii, in qua quinquennium fuit, tanquam ludus quidam omnis doctrinae et virtutis esse potuit Bonamicio. Nec tam vivo, quam mortuo praestitit singularem pietatem, cum eum funebri oratione laudasset, vitam, quam nos primo edidimus *, litteris mandasset, et in omni fere sermone multa et ornate et honorifice et grate de eodem praedicaret. Quasi sua res aut decus ageretur, vehementer laboravit Lucchesinius, ut Bonamicio gradus aliquis fieret ad munus, quod ipse sustinebat. Quo ut se dignum ostenderet Bonamicius ipse, opus scribendum suscepit *de claris Pontificiarum epistolarum Scriptoribus*, quod edidit an. MDCCLIII., et Benedicto XIV. nuncupavit. In disputatione et dialogo (induxit enim enim cum Lucchesinio disputan-

---

* Extat in Vol. XI. hujus operis

tes Alexandrum Furietium et Cajetanum Fortium, homines auctoritate et doctrina summa, de quorum laudibus majora dici non possent, quam populus Romanus memoria retineat) ea persecutus est, quae necessaria putavit illis, qui magnum et difficillimum munus tuentur explicandi sensa Principis, quem omnes caerimoniarum et sacrorum et publicae religionis magistrum habere debent. Quod vero ex humanae divinaeque potestatis conjunctione existat Pontificia majestas, ex duplici quoque civilium sacrarumque rerum cognitione genus illud scribendi efflorescere debere ait Pontifici Maximo accommodatum, eoque dignum scriptore, quem formandum susceperat. Profecto non satis laudari ii possunt, qui eloquentiam graviorum artium instrumento locupletare student; sed cum ego nunquam in Bonamicio tam lautam supellectilem viderim, nec a philosophia, nec a jure Pontificio, nec a politica, nec ab historia satis ille esset instructus, vim eloquentiae rei natura, et dignitate muneris, cui ipsa servire debet, non facultate sua metitus fuisse videtur. Ex hoc tamen dialogo

facile intelliges elegantiam Latinórum verborum in sua potestate habuisse Bonamicium, nec Latinitate modo, sed et explanatione, quae reddit apertam et dilucidam orationem, ipsum valuisse. Cum vero scribenti de iis, qui Romanis Pontificibus ab epistolis fuerunt, magnus esset apertus campus, in quo ejus excurrere oratio, et diligentia atque eruditio cognosci potuissent, in exiguum sane gyrum se ipsum compulit Bonamicius, cum pauca vel de illustrioribus Scriptoribus exposuisset, et innumeros fere praetermisisset. Nemo ignorat quanta industria et patientia opus sit illi, qui vetera monumenta conquirit; nec profecto Bonamicius natura aptus erat ad id, solitus interdum rerum minutarum inquisitores, quae ad litterariam historiam pertinent, sicuti operarios barbarosque perstringere. Hujus libri confectio gratissima illi fuit, quod per eum famam elegantissimi scriptoris (etsi idipsum nonnullis aut severioribus, aut invidis visum sit secus) se collegisse arbitrabatur. Gratum quoque fuit Benedicto XIV. operis munus, sed qualis illius esset in Bonamicium animus ex eo cognosci po-

test, quod successor fuerit Lucchesinio Cajetanus Amatus, huic vero Thomas Emaldius (bini enim esse solent Pontifici ab epistolis) neque quidquam aliud ab eodem Bonamicius ipse obtinuerit, nisi ut *Secretarii Brevium* (sic enim appellatur) *Substitutus* crearetur. Hanc exiguam Pontificis erga se voluntatis significationem Bonamicius modo laudabat, modo carpebat. Non enim poterat esse obscurum quantum ipse iis, quos nominavi, Latine scribendi elegantia et ingenii gloria antecelleret. Quae ut magis magisque universae Urbis judicio ac testimonio comprobarentur, saepe aliquid dignum suo nomine, et praesertim Latina carmina emittebat. Propter elegantiam et sententiarum exornationem, quae non in imaginibus agentibus, acribus, insignitis consistit, sed quae in verbis et in rebus ipsis quamdam dignitatem habet, laudantur praesertim, quae condidit de maximo Templo Bononiensi a Benedicto instaurato, de Cardinalibus Henrico Enriquetio, Vincentio Malvitio et Antonio Maria Herba Odeschalchio, de nuptiis Marci Antonii Burghesii et Annae Mariae Salviatae, atque Sigis-

mundi Chisii et Flaminiae Odeschalchiae. Nunquam aut libuit, aut licuit Bonamicio longius contexere carmen, quod minime inflammaretur illo instinctu divino afflatuque, ex quo magni atque uberes existunt poetae. Exornator tamen erat gravis rerum et laudator magnificus, et cum saepe mitteret amicis et Maecenatibus suis munera epigrammatum, perinde accipiebantur, ac si ab ipsis Latinis Musis missa fuissent. Per haec sibi sperabat fortunam Bonamicius, et multo etiam magis, quod in ea urbe vivebat, quae omnibus communis semper patria fuit, quaeque crevisse, et ad summam amplitudinem pervenisse videtur, quod exteris hominibus, quos virtus et doctrina commendabat, aditus ad honores semper patere voluerit. Memoria repetens Philippus illa Ciceronis in oratione „ pro Planco. „ Illud sine ulla dubitatione „ maxime nostrum fundavit imperium, et „ populi Romani nomen auxit, quod prin„ ceps ille creator hujus Urbis Romulus foe„ dere Sabino docuit, etiam hostibus reci„ piendis augeri civitatem oportere „, haec explicare latius atque exornare Italica oratione

sibi proposuit, quam dixit in Academia Quirinorum, jubente Card. Nereo Corsinio, ipsius Academiae Dictatore perpetuo. Non verebatur ne non conveniret omnium auribus isthaec oratio: extitit tamen Cardinalis Sciarra Columna, qui per eam detractum aliquid Romanorum dignitati, nobilitatique fuisse questus graviter est; sed quam aut leviter, aut superbe, ex ipsa cognosci poterit oratione, quam in vulgus hac ipsa de caussa edi voluit Bonamicius, cui id tantummodo doluit, quod inclementior fortuna beneficia aulae Romanae, quae sibi evigilanti in studio debita esse dicebat, et quae dormientibus saepe deferuntur, moraretur. Sed si quaerimus cur non tam cito ejus votis faverit fortuna, hanc fortasse caussam reperiemus, quod se insolenter efferret, multos invidiose carperet, paucis parceret amicis, et saepe aut libere, aut accusatorie de potentium factis loqueretur. Quae non ita accipi volo, perinde ac si inimico animo a me dicerentur. Plurimi enim semper feci Bonamicium; amavi etiam ex eo tempore, quo simul saepe eramus apud Livium et Victoriam Odes-

chalchios, quos ita observabamus (ego quidem observabo dum vivam) ac si neque vir melior, nec femina lectior in terris unquam extitissent. Sunt qui dicunt praecipuum munus sapientiae in arte vivendi consistere, et foedus quoddam esse debere sapientum, ut ne minus amicos, quam se ipsos diligant. Ergo is, quisquis est, qui tabescit invidia, qui ceterorum contemptu aut risus aut plausus captat, qui sitienter gloriam atque honores appetit, et aut alacritate futili gestiens deliquescit, aut quemcumque casum fortuna invexerit, hunc apte et quiete non perfert, violare videtur officium et existimationem suam. Factum est tandem Vitaliani Borromei Cardinalis commendatione, ut a Clemente XIV., priusquam is egrederetur e comitiis, in quibus Pontifex Max. fuit renuntiatus, Bonamicius epistolarum, ut dicunt, Latinarum Secretarius crearetur, et tum se felicem putavit, si tamen potest ulla in humana vita felicitas esse. Perinde quasi Pontifex benevolentiam insignem in ipsam Rempublicam Lucensem declarasset, Senatus illi gratias agendas censuit, et Bonamicium

multo donatum auro honorificentissimo decreto inter Patricios retulit. Quod beneficium alia quoque liberalitate auxit. Vel ab eo tempore, quo Pontificatum Maximum gerebat Benedictus XIV. eum suis procurandis Romae negotiis (Agentem vocant) destinaverat. Quo in munere magni quidem ejus opera fuit. Egit enim prudenter et dextere, ut potestas esset Senatui Lucensi tres nominandi, e quibus unus a Romanis Pontificibus sacrorum Antistes eligeretur; ut jus, quod jamdiu ipsi exercuerant, discerpendi Archiepiscopatus fructus, et quibus vellent assignandi, circumscriberetur; et ut Lucensi civi in Romano Advocatorum, quos Concistoriales nominant, collegio semper locus pateret: quae quidem omnia et utilissima et honorificentissima habita fuerunt. Quoniam autem Bonamicius factus ab epistolis Pontificis, altero se exolvere munere, quod pro patria gerebat, cogebatur, censuit Senatus habendam rationem illius in omni re, quae sibi cum Romanis Pontificibus esset tractanda, nec dubitavit unquam, quin optimi civis officia idem esset expleturus. Bonamicius cum

jam in ipsa Pontificis aula habitaret, non videbatur posse esse mediocribus rebus contentus, praesertim cum natura ad honorum cupiditatem trahi videretur. Itaque studuit vehementer, ut Pontificis animum sibi magis magisque conciliaret, eaque propter illi nuncupavit iterum editum a se opus *de claris Pontificiarum Epistolarum Scriptoribus*, quod etsi multis in locis emendavit, ac multum auxit, tale tamen non est, ut plane expleverit expectationem doctorum hominum. Quae Philippus addidit in illud, cum desidiosa delectatione vestigasse videtur, et ea jam erat aetate, ut consumere multum operae et laboris in aliqua re nec posset, nec vellet. Cum autem Clemens XIV. recuperasset Avinionensem et Beneventanam Provincias, ac pene obliterasset memoriam praeteritarum offensionum, ob quas Galliae et Neapolis Reges illas regiones Sedi Apostolicae ademerant, Bonamicius versibus Latinis sane elegantibus celebravit lenitatem ac prudentiam singularem Pontificis, quibus mirum in modum utebatur ad conciliandam sibi potentiorum caritatem, et quod aptissimum erat iis tempo-

ribus

ribus, ad quiete vivendum. Haec atque alia hujusmodi dicendo amplificare atque ornare potuisset Bonamicius jussus funebrem orationem habere de laudibus ejusdem Pontificis; sed quamvis hujus mores fuerint justi, integri, religiosi, perferentes injuriarum, et ab omni cupiditate alieni, verendum tamen erat Oratori, ne in multos inofficiosus, et in se ipsum pene periculosus esset, si omnia, quae constanter magnoque animo ille gessit, laudare voluisset. Quid? In eam potius partem peccavit, quae est cautior, omniumque suorum dictorum, quod mireris, habuit moderatricem prudentiam. Sed tum bene audire ab omnibus, omnibus satisfacere adlaborabat, et cum nihil tam cuperet magis, quam leniter, eleganter et cum dignitate extremam senectam degere, videbatur coarguere superioris aetatis perniciosam culpam de omnibus libere ac licenter judicandi. Neque minus ex vero intellexit, praesertim cum coepit esse incommoda valetudine, omnia illa, quae habent speciem gloriae collecta inanissimis splendoris insignibus, brevia, fugacia, caduca existimanda, verum-

que decus in una virtute positum esse. Quare omnia, quae ad Dei cultum pertinent, diligentissime pertractabat, et cum a Clemente XIV. lectus fuisset in Collegium Canonicorum Lateranensium, non tam illi jucundum erat fungi officio suo, quam molestum abstrahi ab eo aut muneris occupationibus, aut valetudinis incommodis. Religioni, ut et amicitiae in Odeschalchios in eo se servire putavit, quod vitam Latine scribendam suscepisset Innocentii XI. qui ex illa gente fuit, quemque omnes sciunt fuisse exemplum innocentiae et sanctitatis. Commentarium in vulgus edidit an. MDCCLXXVI. et Pio VI. dedicavit. Ego autem dicam quod sentio. Omnem illam salubritatem Latinae dictionis quasi sanitatem retinuit semper Bonamicius. Non tamen ejus scripta, ut illa Castruccii, plane implent animum meum. Inops est sententiis, non semper videt quid deceat, quid non, raro aut nunquam ex magnarum reconditarumque rerum cognitione ejus oratio efflorescit, quae sit ars atque scientia magni scriptoris, ut agricolarum, quae circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculetur pe-

ne ignorasse mihi videtur. Cum autem nonnulli dicunt Philippum Latina elocutione (nam elocutio non solum habere debet elegantiam verborum, compositionem et dignitatem, sed etiam sententiarum accommodationem) vel ipsum superasse Castruccium, nimis admirabiliter, nimisque magnifice dicere videntur. Inter eos, quos Bonamicius laudatores habuit elegantiae et integritatis suae, magni, et merito quidem, facere videbatur Benedictum Stajum: ea enim est jucunda et gloriosa laus, quae ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. Dicitur etiam Stajus auctor inscriptionis, quae legitur in marmoreo monumento, quod in Romano Lucensium Templo fratris filii eidem faciendum locarunt. En inscriptionis ipsius exemplum.

Digitized by Google

PHILIPPO BONAMICIO CIVI LVCENSI
OB SVA DE PATRIA APVD SANCTAM
SEDEM MERITA INTER PATRICIOS
ADLECTO
AB EPISTOLIS LATINIS SVMMORVM
PONTIFICUM CLEMENTIS XIV. ET PII VI,
CANONICO LATERANENSI
ET PRAELATO DOMESTICO
SCRIBENDI ELEGANTIA
EDITIS INGENII OPERIBVS CLARO
IN DEVM PIETATE IN AMICOS FIDE
CARITATE IN SVOS EXIMIO
MICHAEL CASTRVCCIVS
ANTONIVS FRATRVM FILII ET HERED.
G. A. M. PP.
ANNOS NATVS LXXV. M. IX. D. VIII.
OBIIT DIE XIII. NOVEMB.
MDCCLXXX.

OPERA EDITA

Bonamiciorum Fratrum opera quatuor voluminibus comprehensa edita fuerunt Lucae typis Josephi Rocchii an. 1784. in 8. En eorum indicem.

Vol. I. *Philippi Bonamicii de claris Pontificiarum epistolarum Scriptoribus*.

------ *De vita Jo. Vinc. Lucchesinii*.

------ *De vita Castruccii Fratris*.

Vol. II. *De Innoc. XI P. M. vita*.

------ *Oratio in funere Jo. Vinc. Lucchesinii*.

------ *Oratio in funere Clementis XIV. P. M.*

------ *Epistolae*.

------ *Discorso recitato nell' Accademia Quirina*.

------ *Carmina*.

------ *Inscriptiones*.

Vol. III. *Castruccii Bonamicii de rebus ad Velitras gestis Commentarius*.

------ *Commentariorum de bello Italico Libri III*.

Vol. IV. *Opuscula Latina, quae soluta oratione scripta extant*.

------ *Carmina*.

------ *Prose Toscane*.

------ *Versi Toscani*.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

FRANCISCO DE ALBITIIS

IN ACADEMIA PISANA JURIS

PONTIFICII DOCTORI S. P. D.

Bene ac sapienter tu quidem judicas, eruditissime Francisce, ex multis studiis, quae ingenio exercentur, in primis magno usui esse memoriam rerum gestarum, cujus de praestantia quia alias dixi, nunc silendum puto, simul ne per insolentiam quis existimet memet, studium meum saepius laudando, extollere. Quod si hominibus bonarum artium tanta cura esset, quanta nihil profuturas petunt, multi facta clarorum virorum investigarent, et historiae monumentis mandarent, quin pertimescere de fama et de honore debeant, cum historia quoquo modo scripta delectet, et in pretio habeatur. Sed in magna rerum copia amplissimoque campo aliud alii iter ingredi possunt. Qui de praeclara virtute atque gloria bonorum ita scribendum suscipiunt,

Digitized by Google

ut facta dictis exaequent, instructi esse debent ab eloquentia, quae res una est omnium difficillima. Sunt qui ab historia haud segregandam putant notitiam illarum rerum, quibus felicitas humani generis, et justum injustumque continetur, atque illarum artium, quibus domi militiaeque et partum et auctum imperium est; sunt alii, qui elaborant, ut penitus introspiciant mentes illorum, qui magna gesserunt, et ut noscant caussas omnes vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis; sunt qui bellorum jura, Imperatorum consilia et acta, et praeliorum eventus perpendere et narrare sibi proponunt, et hi nisi eloquentiam magnarum artium instrumento locupletaverint, risum magis quam admirationem movebunt; sunt demum, qui annosas quasdam chartas cangerant undique, et tanquam aliquod historicum opus obtrudant: sunt etiam multi, qui nolint nisi annales conficere, et sine ullis ornamentis monumenta temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum litteris consignare, et hos non oportebit esse doctrina imbutos: satis erit non esse mendaces. Magnum profecto munus illi sustinere mihi videntur, quibus propositum est alicujus regni atque provinciae historiam ita nar-

tare, ut non modo omnes fortunae vicissitudines, sed omnia instituta et leges, quae varia fuerunt pro varia imperantium voluntate, morum mutationes, quid tempora tulerint, quid hominum libidines pepererint, persequantur. Fuit hoc omnium regnorum fatum, in quibus Romanorum jus diu viguit, ut non solum ejus vis paullatim infirmaretur, sed omnis pene ejus memoria sensim obscurata sit et evanuerit. Conjungendam propterea homines doctrina praestantes putarunt historiam Romanae juris prudentiae et legum, quae in illius locum successerunt, cum historia quorumdam regnorum, et ii bene posuisse operam judicantur, qui caussas tot mutationum acute investigarunt, vereque ac libere, detractis simulationum involucris, aperuerunt. Magna merito laus in hoc scriptionis genere tribui solet Arthuro Dukio homini Britanno, qui de usu et auctoritate Juris Civilis Romanorum in Dominiis Principum Christianorum *copiose disseruit; sed quod opus hujusmodi propter amplitudinem regionum magnas habebat difficultates, quas unus homo haud poterat exsorbere, ille quidem satisfecit Britannis, Scotis, Hybernisque suis, Gallis, Germanis, Italis, atque*

aliis exteris nationibus non item. Suos et Gallia ostentat Cironium, Costam et Doujatium, Germania Coringium, Batavia Voetium, Hispania Molinum et Cortesium, nec desunt historici hujusmodi multi Svecis, Danis et Norvegis. Quanquam Italia abundaverit semper omni praeclara arte atque disciplina, pene tamen abesse videbatur literis nostris hujusmodi historia; et miror equidem, quippe cum sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc legale maxime, et apud nos magno semper in honore fuerit juris prudentia et diligentissime exculta, et dissimilitudo imperiorum varietatem juris habuerit maximam, multos allicere debebat rei utilitas, praestantia et copia, ut in hanc laborem impenderent, et ad illam caussarum operam narrationem adjungerent vicissitudinum, quas in Italia leges habuerunt. Quae quidem historia dat Principibus regnandi, dat populis praecepta parendi, propositisque optimarum institutionum exemplis, et praesentes et posteros longe omnes excitat ad justitiam colendam, sine qua nihil potest esse laudabile, et in qua virtutis splendor, et omnis humana felicitas continetur. Atqui si quaerimus quidnam sit illud, quo aetates quaedam ceteris

Digitized by Google

fortunatiores esse videantur, in eo positum repe- riemus, quod nonnullae nactae sint scriptores illustres, qui recte factorum memoriam scriptis commendarunt suis, ducueruntque homines unde quaeque lex orta sit, quid varietates, mutatio- nesque temporum, morum atque imperiorum pe- pererint, quid superstitio, barbaries, et infinita dominandi habendique cupiditas suaserint, quid sancta jusserit Religio, quid non patiatur natu- ra, quidque manens et non mutata ratio ex illo omnium bonorum fonte petita postulet atque ex- igat. Haec perpendens Petrus Jannonius Juris- consultus Neapolitanus vehementer posse id pro- bari populo suo arbitratus est, si eo tem- pore, quo sibi a caussis vacatio dabatur, o- peram consumpsisset in inquirendis explicandis- que legibus, quibus olim Neapolitanum regnum gubernabatur. Fuit profecto quaedam huic regno fortuna fatalis, ut a multis, moribus et lingua dissimilibus, subjiceretur. Paruit Romanis et Graecis, paruit Gothis et Longobardis, Northman- nis et Svevis, dimicarunt de illo Romani Pon- tifices et Constantinopolitani Patriarchae, qui cum praetermitterent nihil quod ad augendam po- tentiam conduceret, novis institutionibus rem pu-

Digitized by Google

blicam miscuerunt, viguit diu in eo feudale jus, habuit dominos seu potius praedatores Gallos, Hispanos, Germanos, adeo varia et diversa genera bellorum et imperiorum passum est, ut perpetuis fortunae fluctibus objectum esse videretur. Quanta vero illa sunt, quae Clerici infirmarunt, commutarunt atque condiderunt, cum omni studio ad Principum jura occupanda incumberent! Haec in primis exponere sibi proposuit Jannonius, ducens initium ab antiquissimis Ecclesiae legibus, et ab ultimis Christianae reipublicae temporibus, quod dum praestitit non tam libere, quam accusatorie, ut in fabulis Amphiaraus, sic ille prudens et sciens ad pestem ante oculos positam profectus est. Sed ex eodem fonte intelligebat se hausturum laudes suas, e quo fuisset aspersus; et nemo est tam inimicus illi caussae, quam suscepit Jannonius, qui illum veterum legum institutionumque non fuisse prudentissimum audeat dicere. Atque illum minus instituti sui poenituisse oportet, quod grate libenterque intellexerit trans mare transque alpes, quibus in locis praeclarissimae artes ac disciplinae vehementius jam quam in earum quasi parente atque altrice quondam Italia coluntur,

Digitized by Google

non reprehendi rationem scribendi suam, exemploque suo excitata fuisse multorum studia, ut civilem quarumdam Provinciarum historiam litteris consignarent. Est boni civis, et eorum praesertim, qui in rebus publicis versantur, nosse exempla majorum, quibus regerentur magistratibus, quid habuerint militum, quid valerent aerario, quas artes excolerent, quos socios, quos amicos sibi adsciverint, quae habuerint in publicis institutis ac legibus, quae relicta sint et tradita de jure populi terrarum domini, quae corrumpere vel corrigere potuerint mores civitatis, quidque judicatum atque statutum fuerit de sacris et religiosis. Audivi equidem saepe te querentem pro summo tuo in patriam studio (nam illa non minus tibi cara est, quae genuit, quam illa, ex qua genus nobilissimum ducis) deesse hujusmodi scriptorem Pisanae civitati, quae quondam florentissima respublica fuit, neque in Graeca urbe viguisse Graecorum morem, apud quos Νομοφυλακες *creabantur, qui non solum litteras, sed etiam facta hominum observabant, ad legesque revocabant. Nos quidem hoc sentimus: si tibi placuisset colligere monumenta Pisarum, quae ex maximo miserrimoque*

Google

naufragio ad nos usque pervenerunt, effici potuisse, te patriam historiam tractante, ut nihil in hoc genere ceteris nationibus cederemus: nam ut ipse intelligo, et ex te persaepe audivi, sunt multae fabulae apud Troncium, ejus loquacitas sine nitore atque elegantia est, de institutis rerum publicarum, et de optimis legibus minime disputat; admonere tantummodo reliquos potuit, ut accuratius ac prudentius scriberent. Sed ut ad Jannonium revertamur, cujus caussa hunc suscepimus sermonem, et de quo saepe colloqui solemus, est quaedam inter nos parva dissensio. Quae tandem inquies? Num satis ornate, ut docte scripserit. Habere ille quidem mihi videtur vires agrestes atque horridas, sed ab illo abest politior elegantia, quam adeo propriam historicorum esse reor, ut nisi, quemadmodum apud Graecos Thucydides et Xenophon, apud Romanos Sallustius, Caesar et Livius, apud nos, ne externa tantum efferamus, Machiavellius et Guicciardinius, delectu verborum ac sententiarum, quae scribunt ornent, magnorum Scriptorum nomen minime mereantur. Sed plura persequi tum magnitu-

Digitized by Google

do epistolae prohibet, tum festinatio, ut ea explicem quae exorsum sum. Quare ad propositum veniamus, et in hoc commentariolo de Jannonii vita sequemur praesertim Leonardum Panzinium, qui magna cura atque diligentia collegit omnia, quae ad illam declarandam conducere posse videntur. Vale.

Pisis Id. Martii MDCCLXXXVI.

Digitized by Google

Petrus Jannonius

Difficile est vitam hominis scribere, in quo aut laudando, aut reprehendendo nulli fere modum retinuisse videntur. Utcumque erit, juvabit tamen aliquid tentasse, et si in tanta aut reprehensorum, aut laudatorum turba perpaucos veritatis cupidos invenero, qui aequo animo accipiant, quae ego liber a partibus dicturus sum, eorum testimonio ac judicio me consolabor. Sine dubio magnus homo et summe disciplinarum gravissimarum studiosus fuit Petrus Jannonius, qui si doctrinae parem habuisset aut fortunam aut prudentiam, non ille quidem major et celebrior (nam et ex culpa fama interdum invenitur) sed honoratior et felicior extitisset. Nam cum aetas illius in ea tempora incidisset, quibus periculosum erat, in Italia praesertim, quae sancta putabantur, quanquam cum religione nihil commune haberent, Romanorum Pontificum ceterorumque Ecclesiae Praesidum jura vel minimum laedere, ac veteres regum regnorumque casus adumbrare,

quidquid ipse reprehendit, malevolentia atque odio in Catholicam religionem dictum putabatur, eaque propter a potentioribus ita vexatus est, ut nunquam ex multis miseriis atque periculis requieverit. Patriam ipse habuit Ischitellam, quod est Apuliae citerioris oppidulum illa in parte situm, quae Garganus mons dicitur, quo in loco ipse natus est non. Maii an. MDCLXXVI. matre Lucretia Migaglia, patre Scipione pharmacopola. Sunt qui tradunt hunc originem duxisse a Jannoniis-Alittis divitiis generisque nobilitate insignibus; sed tam aberat Scriptor noster, ut obrepere vellet ad existimationem hominum commendatione fumosarum imaginum, ut nobilitatem tanquam inane nomen et alienum honorem, nisi cum virtute conjungatur, irrideret. Institutus liberaliter fuit educatione doctrinaque puerili in domo paterna; cum vero ageret XVIII. aetatis annum, missus est a patre Neapolim, ut ibi nobilioribus disciplinis, ac praesertim juris prudentiae, vacaret. Nihil illi fortunatius fuit, quam tradi in disciplinam Dominico Aulisio, qui non solum iis facultatibus, iisque

que artibus, quibus instruuntur adoleſcentes ad usum forensem, abundabat, sed & Graecis Latinisque litteris, hiſtoria, philosophia, omnique fere liberali doctrina erat eruditissimus. Quod in adolescentulo fulgebat ſingularis indoles virtutis, magnaque gloriae cupiditas, erga eum semper se geſſit Auliſius amice et benevole, vix ut id pati poſſe viderentur ceteri ejus generoſi condiscipuli. Cum vero adeo profeciſſet in ſtudiis tum philosophiae, tum juris prudentiae Jannonius, ut famae se jam servire poſſe putaret, petiit a Cajetano Argento, quo tum nemo illustrior erat in Neapolitano foro cauſſarum patronus, ut se quoque in eorum coetu locaret, quos solitus erat domi suae habere ad excolendas privatis exercitationibus nobiliores disciplinas. Tum se acerrimum propugnatorem oſtendit cultioris juris prudentiae, cujus praeclarum specimen dedit, cum illuſtrandam suscepiſſet pluribus in diſſertationibus l. 2. §. *de origine juris*. Indagatio rerum maximarum turbae jurisconsultorum occultissimarum habebat obleđationem; quapropter cum intermitteret nunquam ſtudia eruditionis, et illa praesertim,

quae ad originem mutationemque legum, viciſsitudinesque regnorum pertinebant, orta eſt in eo cupiditas, ipso Argento approbatore, Neapolitani regni civilem hiſtoriam scribendi, exponendique cauſſas, quae impulerunt eos, qui molitionem novam quaerentes id machinati sunt, ut vetera inſtituta atque scita tollerentur. Nihil illi erat optatius, quam in suscepto jam opere dies noctesque consumere, sed coegerunt illum rei familiaris anguſtiae, ut doctrinam suam ex umbraculis eruditorum otioque domeſtico in solem, in pulverem, aciemque forensem educeret. Dominatur in foro Neapolitano non tam juris civilis prudentia, quam dicendi copia, ad quam cum a natura minime eſſet factus Jannonius, neque ei multum operae dediſſet, propterea quod melius eſſe putabat cogitare acute et prudenter, quam eloqui copiose, sero in claris cauſſarum patronis numeratus eſt. Ut numeraretur factum est an. MDCCXVI. tum cum patrocinium suscepit oppidanorum S. Petri in Lama, a quibus eorum Dominus Lyciensis Episcopus olivarum decimam exigebat. Nam quae hac de caussa edidit scri-

pta, quamvis non ſint splendida verbis, sunt tamen acuta prudentiaeque plenissima; et ipsa adversarii celebritas plurimum valuit ad famam illi conciliandam. Quae priusquam accciderent, tenuis illi adeo erat fortuna, ut cum pecuniam non haberet ad emenda Cujacii opera, quae utiliora videbantur ipse sibi exscriberet. Poſt illam plures nobiles caussas egit, et quae attulit in forum scripta, diligenter adeo elaborata erant, et tanquam elucubrata, ut nulla esset caussa, quae non digna illius patrocinio esse videretur. Maxime vero perspiciebatur illius doctrina, ſi quidquam hiſtoricum, aut ad jus publicum et *feudale* pertinens illi esset tractandum: tum enim facile primas tenebat. Sed Jannonius quotidie et legens et scribens et commentans forensibus exercitationibus contentus non erat, & cum vacabat a foro, se in villam suburbanam quamdam Ischitellae Principis abdebat, ut ibi opus de civili hiſtoria Neapolitani regni urgeret. Verum parum abſuit quin illud e manibus deponeret, non solum quia res habebat multum difficultatis et laboris, sed etiam quia audierat Partenium Jannetta-

ſium hominem Jesuitam, doctum illum quidem, et ab omni cura solutum, in historia Neapolitani regni scribenda plurimum laborare. At ubi haec in lucem hominum venit an. MDCCXIII. vidit statim Jannonius nihil esse caussae, quare de propoſito deduceretur, cum aliud nihil egisset Jannettaſius, niſi ut Latinae linguae ornamentis veſtiret, quae Summonta Italice atque ineleganter exposuerat. Aderant etiam amici saepe ipsum rogando, ut ad umbilicum promissum opus adduceret, neque magnitudine rei deterreretur. Inter haec moritur Auliſius, neque mediocris suspicio fuit veneno necatum ipsum fuisse ab fratris filio Nicolao Ferrara-Auliſio. Ea propter hic in carcerem conjectus eſt, et cum pejora timeret, rogavit Jannonium, ut sui patrocinium susciperet. Hujus opera e vinculis emittitur, et ut gratus et pius erga eum cognosceretur, cui se vitam debere dicebat, donavit eidem magnam partem librorum, et omnia fere scripta patrui sui. Suaviter & jucunde cum reminisceretur Jannonius quantum ipse in juris prudentia profecisset per Aulisium, ut illius doctrinae utilitas ad omnes dimanaret, typis imprimen-

da curavit quae ipse adnotaverat ad quosdam Pandeſtarum titulos, et quae de institutionibus juris Pontificii exposuerat. Sed quoniam tanto viro malevoli deesse non poterant, hi in vulgus spargere coeperunt, manu scripta Aulisii divitias opportunas fore Jannonio, ut laudaretur, utque Hiſtoriam Neapolitanam absolveret, quaſi homo ingenio, doſtrina atque ſtudio abundans alienis subsidiis indiguisset. Nihil ille respondit, ut tam absurdam tamque inverecundam accusationem refelleret, et acrius in incepto permansit. Sed quod ab hoc illum saepe abstrahebant fori occupationes, videbatur accusare fortunam suam, quod vitam sustentare litibus et jurgiis cogeretur. Tantum ex his cepit utilitatis, ut feſtivam, quod jamdiu optaverat, sibi paraverit librorum copiam, et suburbanam villulam, ubi se obleſtare sine interpellatoribus posset. Levabatur ejus animus ſe exercendo; et ne in una juris prudentia vitae tabernaculum collocasse videretur, interdum in antiquitatis et naturae investigatione versabatur. Eſt in manibus hominum epiſtola ad Nicolaum Cyrillium virum medicina et omni physica

doctrina clariſsimum, qua ei quaerenti respondit, cur nix diutius maneat in ea Vesuvii montis parte, quae eſt inferior, quaeque flammas eructat, quam in superiori, ex qua ignis minime erumpit. Cujus rei caussam invenit Petrus in arena, qua tegitur cacumen inferioris montis, per quam liquescens nix facile percolatur, cui aquae percolationi cum minime sit aptum saxeum aut terreum solum superioris montis, inde fit, ut ubi nix in eo liquescere incipit, quae inde dilabitur aqua facile quod reliquum eſt nivis solvat. Egerat jam Petrus cum typographo de imprimenda sua civili Hiſtoria Neapolitana, cujus rei, approbante Nicolao Capassio viro ſibi amicissimo et doctissimo, facultatem obtinuit ab Althanio Card., qui Caesaris nomine ad Regni gubernacula sedebat. Emanavit itaque opus, in quo conficiendo viginti annos laboraverat, mense Martio an. MDCCXXIII. quod non minus segetem et materiem Auctoris gloriae, quam moleſtiarum acerbissimarum fuisse dixeris; de quo quidem nescio quemadmodum scribam, adeo multa, adeo magna sunt ea, quibus commendatur. Propositum

id quidem Auctori fuit, ut quoniam omnibus rerum Neapolitanarum Scriptoribus aut ſtudium et cura, aut animus viresque defuerunt exponendi perpendendique leges, mores omnemque politiam nobilissimi regni, ipse hanc relictam partem expleret. Ea propter exordium capiens ab ultimis temporibus, quibus Graeca urbs suis regebatur inſtitutis, donec in Romanorum poteſtatem ditionemque venit, diligenter inquirit quae propria Graecorum, quae Romanorum fuere, per quos Magiſtratus, per quas leges, quibusque artibus hi in universa dominabantur Italia. Tali modo veſtibulum et aditum illuſtrem fecit ad suam hiſtoriam, quae ab Conſtantini Magni imperio incipere videtur. Mens enim praesertim fuit Jannonio conſiderare mutationes, quas habuerunt Romanae leges, antiqui mores, omnisque civilis Reipublicae adminiſtratio a Chriſtiana religione, et ab iis, qui sacrorum moderatores fuerunt, et quomodo, nato Pontificio jure, poteſtas Regulorum cecidit, convaluitque pene intermortuum jus Romanum. Nulla fere est res illuſtris, quae ab illo non ſit notata, et quod difficillimum fuit,

ſic Eccleſiaſticae poteſtatis originem et progressus subtexuit, ut ex eo possimus cognoscere quando conservata ſit illa a sacerdotio et imperio conglutinata concordia, quando nonnullorum avaritia atque ambitione disjuncta, et quae inde manaverint quaeſtiones, discordiae atque mala. Dum rerum ordinem et vicissitudines declarat, conservat ubique rationem inſtitutionemque suam perpendendi quid quamque rem secutum ſit, quid veteribus inſtitutis ac scitis ſit contrarium, quid a majorum moribus discrepans, et quid aequitati consonum. Infinitum esset ſi vel summas rerum atque sententiarum attingere vellem, quae continentur in opere, quod narrat quid per XV. et amplius saecula domi militiaeque geſtum ſit per eos, qui in Neapolitano regno dominati sunt, quos magiſtratus, quaeque publica munera inſtituerint, quae fuerint jura Romanorum, Gothorum, Longobardorum, Northmannorum, Svevorum, ceterorumque, qui illis usque ad Auſtriacos successerunt, quae extiterint controverſiae inter Occidentis et Orientis Patriarchas, et quomodo ii, qui in Eccleſiae caſtris militabant, se gesserint,

ut poteſtatem, jurisdictionem, bona atque divitias amplificarent. Homo ad scribendi licentiam liber teſtabatur Deum se aequitatis et veritatis caussam defendere, et neminem laedere, niſi qui se ita offerret, ut in eum non invaſisse, sed incurrisse illius oratio videretur. Verum ſi aequi esse voluerimus, fatebimur inſenso atque inimico animo fuisse Jannonium in presbyteros et monachos, nihil illis indulsisse, et ubique virus acerbitatis suae sparsisse. Hic noſter acerrimus objurgator melius quidem caussae et famae suae consuluisset, ſi a contumeliis atque conviciis abſtinuisset, et triſtitiam severitatemque semper gravitate, atque rationum pondere firmasset. Praeter quam quod is, qui objurgare ceteros ſibi proponit, etiam atque etiam cavere debet, ne ulla in re ipse labatur. Saepissime is errat in chronologia, quaedam magni momenti leviter tangit, raro vetuſtiora certioraque monumenta consulit, cum multa expiscatus esset, et surripuisset etiam, verba haud immutans, a Conſtantio, a Summonta, a Parrinio ac praesertim a Buſſerio, qui omnes de Siculis Neapolitanisque rebus scripse-

runt, quid his debeat ingenue haud aperit, faſtidiose interdum dicta jam repetit, aut minima sequitur, ut invidiam faciat sacris hominibus, utitur vero oratione, quae etiamſi vim quamdam habeat, non eſt tamen puris et electis verbis composita, soluta et aequabiliter fluens. Magnum et difficile eſt munus hiſtoriam scribere, majus etiam πολιτικον opus efficere, atque ea persequi omnia, quae ex varietate temporum, imperiorum, legum, consuetudinum atque opinionum dimanarunt. Verum etsi non plane satisfecit Jannonius severioribus judicibus, multam tamen gloriam ex hiſtoria civili Neapolitani Regni, quam in IV. divisit volumina, collegit, et ii, qui refrenandam et coercendam putant nimiam Eccleſiaſticorum potentiam, et jura Principum sarta et tecta esse volunt, maximum se accepiſſe a Jannonio beneficium praedicant, quod docuerit, quid in jure, aut in aequo verum & bonum aut esset, aut non esset. Magnam quoque attulisse utilitatem putatur iis, qui caussas agunt et judicant in Neapolitano foro, quod complectens totam rationem universi juris ac legum, quibus civitas regeba-

tur, quid evanuerit vetuſtate & oblivione, quid imperantium voluntate immutatum, quidque retineatur adhuc, et retineri expediat declaravit. Haec reſpiciens ipsa civitas, et laudibus et dono, et dignitate patroni sui ſcriptorem remunerandum putavit (1). Quo teſtimonio cum ipse superbire videretur, ei dixisse fertur sapiens homo Argentus: *Neſcio equidem gratuler ne tibi, an doleam: admodum enim vereor, ne, quam nunc in capite habes, laurea corona, ſpinea futura sit.* Praedictionem confirmavit eventus; nam paullo poſtquam opus in vulgus editum fuit, ex clamoribus illorum, qui ſacris erant addicti, ferme tota urbe per-

A' dì 17. Marzo 1723. Si è appuntato d' eleggersi per Avvocato ordinario di queſta fedelissima città il Mag. D. Pietro Giannone, ed il Mag. Segretario ne ſtenda la conclusione --- Si è appuntato, che il Mag. Razionale ſpediſca il mandato di ducati cento trentacinque a beneficio del Mag. Matteo Taſſone per dovergli impiegare in compra di una galanteria d' argento per regalarsi in nome di questa fedeliſſima città al D. Pietro Giannone in ſegno di gratitudine per il libro compoſto dell' Iſtoria civile di Napoli, che può ridondare in tanto beneficio di queſto Pubblico. Marcheſe Coſtanzo, Pignone, Serra, Pignatelli, *De Maria*. *Ex libro IV. Appuntamentorum* fol. 39. J. Velli Secret.

crebuit ab illo everti ſacra et caerimonias; irrideri indulgentias, religioſas peregrinationes, sanctorum miracula, et illud praesertim ebulientis sanguinis, quod S. Januario tribui solet, et inexpiabiles strui inſidias ad convellendam Chriſtianam rempublicam, atque ea, quae majores nostri religionibus tuta nobis atque sancta esse voluerunt. Usque eo a Jesuitis praesertim commotus est populus, ut Jannonius quoties in publicum prodibat, clamore convicioque jactaretur, et cum timeret vel ipse Althanius Cardinalis, quo eruptura esset isthaec popularis audacia atque licentia, quaesivit a consiliariis suis quid sibi faciendum esse putarent. Fuerunt nonnullorum sententiae dandum in cuſtodiam Jannonium; censuerunt alii vetandam operis venditionem, & quotquot invenirentur illius exemplaria in librariis officinis penes *Collaterale*, ut loquebantur, *Conſilium* deponenda. Opportune hac de re admonitus Jannonius ab ejus amico Franciſco Ventura, cujus magna erat in cognoſcendis criminibus potestas, quotquot potuit clam recuperavit exemplaria, tacite approbantibus ipsis judicibus, quibus nil aliud erat propositum

nisi aut restinguere aut sedare tantam invidiae flammam. Ea propter quidam religioſi homines, qui in publicis concionibus acerbe et contumeliose in Jannonium invecti fuerant, aut in exilium acti, aut minaciter, nisi linguae frenum injecissent, perterriti. Sed non propterea sedati animi fuere: exasperati etiam magis postquam episcopale fulmen emissum fuit in Nicolaum Nasum, quod Jannonii opus typis impressisset, non impetrata prius ab Archiepiscopo potestate. Cum interea hujus adminiſtri acerbiora Jannonio machinarentur, neque dubitarent ad illum perdendum opportunam fore occaſionem proximum S. Januarii festum, eorum crudelibus consiliis occurrendum putavit. Adit itaque Althanium Cardinalem, exponit ei quanto in periculo versetur non aliam ob caussam nisi quia patriae et principatus jura animose defendit, astutias, audaciam adversariorum aperit, populi levitatem ac superstitionem accusat, ab eoque petit ne se implorantem ejus auxilium deserat. Homo nullius animi, nulliusque consilii non tam de Jannonii vita, quam de sua timendum ſibi arbitrabatur, ſi malevolentiae hominum in illum vi obsistere voluisset, qua-

re eumdem ab ſe dimiſit ſine ulla rerum expectatione meliorum. Quod tamen periculo illius movebatur, ſuaſit ipſi, ut ſe latebris alicujus domus occultaret, aut Vindobonam concederet, Caroli VI. Caesaris praeſidium aequitatemque imploraturus. Id ut exequeretur acceſſit etiam auctoritas amicorum, quapropter III. Kal. Majas an. MDCCXXIII. clam Neapoli diſceſſit. Hac ipſa die lata fuit ſententia ab iis, qui pro Archiepiſcopo judicabant, qua ſpretarum legum reus Jannonius declarabatur, quod facultatem minime obtinuiſſet ab Archiepiſcopo edendae Neapolitanae hiſtoriae, eaque propter cum ipſo ſic agendum, tanquam ſi illi aqua et igni interdictum eſſet (1). Citatus antea fuerat, sed non re-

(1) *Auctoritate noſtra ordinaria, qua in his fungimur, excommunicamus, & excommunicatum declaramus, et ipſo facto incurſum in* excommunicationem majorem *latam & continentem in Concilio* Lateranensi ſess. 10. necnon in Conſtitutione Eminentissimorum et Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium Archiepiſcoporum Neapolitanorum praedeceſſorum, praeſertim Synodo Dioeceſ. Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Card. Cantelmi tit. de Editione & uſu librorum cap. 5. num. 2. & tandem latam & confirmatam ab hodierno Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Card. Pigna-

spondit, quod se esse absentem simulaverat. His auditis, exultare gaudio plebs, ultorem impietatis adesse dicere Deum, & rogare Magiſtratus, ut ex urbe exhauriretur comitum Jannonii, ſi qui fuissent, Chriſtianae reipublicae perniciosa sentina. Itineribus deviis ipse Manfredoniam venit, cujus civitatis Archiepiscopus, vir sapiens, et ab adolescentia Jannonio officiis, usu et consuetudine con-

rello Archiepiſcopo, in Edicto ad hunc effectum lato & publicato *die 3. mensis Auguſti* 1707. U. J. D. Petrum Giannone *relatum et non comparentem* & contumacem eſfectum, notorium tranſgreſſorem ordinationum contentarum in praedictis ſacris Conciliis, conſtitutionibus & edictis, ex eo quia temere auſus fuit abſque ullo examine, approbatione & licenria dicti Eminenriſſimi Domini Cardioalis Pignatelli Archiepiſcopi, sive noſtra, hic Neapoli propriis ſumptibus imprimi facere, ſeu typis edere, & publicare opus quoddam ab ipſo compositum in quaruor Tomos diviſum, *cui titulus eſt:* Iſtoria Civile &c. Qua quidem excommunicatione tamdiu maneat irretitus, donec ab eodem Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Card. Archiepiſcopo, cui illam reſervamus, abſolutionis beneficium meruerit obtinere. Careat interim conſorrio & communione Chriſtifidelium & ſepultura Eccleſiaſtica, quatenus excommunicatus deceſſerit. Ita inſtante & petente Domino Fiſco Curiae Archiepiſcopalis Neapolis Aoronius Bottone pro Curia Actorum Magiſter. Ciavarelli Notarius.

Digitized by Google

junctiſsimus, non mediocriter laboravit, ut posset ille sine periculo e regni finibus egredi. E Barolo, ubi aliquot dies periculose commorari coactus fuit, Tergeste navi advectus est, et tum paullulum respirare a metu coepit. Habitus ibi honorifice fuit ab optimatibus, ad quos fama illius doctrinae et calamitatum, quas perpessus fuerat, pervaserat; neque multo post Vindobonam pervenit. Qui ei machinabantur perniciem, nihil non egerunt, ut tota urbe spargeretur rumor illum, ſicuti impietatis reum, sacris interdictum fuisse, atque gravissima culpa teneri, quod opus suum vulgasset, neque Archiepiscopo, neque Pro-Rege permittentibus. Non defuerunt verba & monumenta Jannonio, ut quid in hujusmodi accusatione falsum esset ostenderet, et aequis hominibus palam faceret ab adversariis suis calumniam religionis non religione, sed malevolentia comprobari. Sed quia nihil eſt tam volucre quam maledictum, nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur, minime eſt mirandum ſi quosdam potentiores, & illos praesertim, qui Jesuitis favebant, conciliari ſibi posse despe-

Digitized by Google

raverit. Neque minus illius frater Carolus adlaborabat, ut elueret maculam illa Archiepiscopali sententia susceptam. Cujus in patronis ſi fuit etiam Argentus, magis fuit, ut ipse moleſte ferre videretur inſignem injuriam Petro illatam fuiſſe, quam ut propulsaret. Poenituit illum poſtea, quod languidiore ſtudio fuiſſet in cauſſa, in qua de honore amici, & de Regis jure agebatur; & quae dixit et gessit, poſtquam Althanius Cardinalis ejusdem caussae cognitionem mandavit judicibus, qui e sanctioribus Magiſtratibus electi fuerant, ut suaderet nullam fuisse Archiepiscopo rationem sacris interdicendi Jannonio, & esse eorum, qui praesunt adminiſtrationi Reipublicae, videre ne quid haec a malis libris detrimenti capiat, neque posse Eccleſiarum Rectores hanc poteſtatem ſibi arrogare, ejus pristinum in amicum animum comprobarunt. Verum haec antequam acciderent, actum cum Archiepiscopo fuit, ut Jannonium absolveret, quod illius poſtulationi concessit (1)

(1) Eminentiſſimo Signore. Mi viene ſcritto da Napoli d' eſſersi dalla Curia di V. E. proceduto contro di me

non quia hanc aequam & honeſtam putabat, ſed quia verebatur, ne lata a ſe ſen-

a cenſure per avere io fatto ſtampare la mia opera della Storia Civile del Regno di Napoli ſenza licenza della medeſima Arciveſcovile Curia, la qual opera ſottopongo alla cenſura della S. Madre Chieſa, ſe mai in quella vi foſſe errore involontariamente traſcorſo. Mi dichiaro eſſere ciò ſucceduto per ignoranza, ſupponendo che detta licenza aveſſe dovuto andare a carico dell' impreſſore o del padrone della ſtampa; onde pentito ne chiedo perdono, ſupplicandola umilmente a voler dare gli ordini per la mia aſſoluzione, come lo ſpero dalla ſomma ſua benignità e clemenza; e riverentemente mi ſottoscrivo &c. Vienna 2. Ottobre 1723.

Attenta ſupradicta copia epiſtolae U. J. Doctoris Petri Giannone tranſcriptae a ſuo originali, cum quo concordat, ejuſdemque tenore involontarii erroris, benigne procedendo ſecundum regulam et viſcera S. Matris Eccleſiae erga poenitentes, delegamus & committimus facultatem abſolvendi praedictum oratorem cuicumque Confeſſario ab eo eligendo, approbato tamen ab Ordinario loci; conditione adjecta, ut in futurum abſtineat ſimilia perpetrare, & poenitentiam imponendam a Confeſſario adimpleat & ſatisfaciat &c. alias &c.

Datum Neapoli in noſtro Archiepiſcopali Palatio die 22. Octobris 1723.

Franciſcus Cardinalis Pignatellus Archiepiſcopus. De mandato Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini mei Archiepiſcopi Jacobus Collez Secretarius.

tentia a Regiis judicibus injuſta, vitioſa atque irrita declararetur. Sed haec ipsa absolutio offendit animos majoris partis judicum, & eorum, qui Vindobonae ad Caesarem de rebus Neapolitanis referebant; quare non mediocriter adlaborandum fuit Jannonio, ut his omnibus persuaderet non laedi per illam jura Regis, quod non publice, sed privatim ad levandam curam & angorem animi sui poſtulata & conceſſa fuerat. Non mediocriter etiam conducebant ad levamentum summorum hominum aut officia, aut teſtimonia, inter quos honoris cauſſa nomino Blaſium Garofolum et de Miro Monachum Cassinensem, qui praeſtare ceteris doctrina putabantur. Eo jam res deducta erat, ut confidere posset Jannonius fore ſibi gloriae adversariorum malitiam atque improbitatem, & declaratum iri a judicibus, apud quos caussa sua Neapoli agebatur, Regni leges ac jura Principis sua condemnatione violata fuisse. Sed ne judicium pronuntiaretur, cum jam praejudicium adversus Archiepiscopum factum fuisset, obſtitit Caesaris voluntas, qui de tota controverſia tum Neapoli, tum Vindobonae ſileri jussit,

inſtante maxime Perlaſio Rialpi Marchione; viro, in quo summa erat auctoritas atque amplitudo. Nam cum cupiditas honorum ejus filium Romam duxiſſet, ejus cauſſa gratificari Romano Pontifici vehementer cupiebat. Et permagni quidem hujus intererat ita fieri, quod multorum maleficiorum convictum Jannonium putabat, cum judicassent Quaeſitores Fidei opus illius de Civili Hiſtoria Neapolitani Regni continere *doctrinas et propoſitiones quamplurimas falſas, temerarias, scandaloſas, ſeditiosas, per summam calumniam injurioſas omnibus Eccleſiae ordinibus, & toti Eccleſiaſticae, praeſertim S. Sedi Apoſtolicae, erroneas, ſchiſmaticas, atque impias et haereses ut minimum ſapientes*, atque propterea illud e Chriſtiana Republica, ſi fieri potuisset, omnino tollendum (1). Non propterea Jannonium erubuisse atque expalluisse judicabis, at incredibili robore animi septus illud curabat unum, ut potentiorum benevolentiam & Caesaris patrocinium ſibi conciliaret. Quod saepe Regum

(1) Hoc decretum interpoſitum fuit Kal. Quint. an. MDCCXXIII.

Digitized by Google

animi occupantur vocibus eorum, quos audiunt, ut difficilis aditus veritati relinquatur, adhibuit Pium Nicolaum Garellium, quo medico Caesar utebatur, ut in hoc excitaret deſiderium ipsum opus legendi, quod cum praeſtitisset, haud deserendum hominem putavit, qui animose & fortiter Regum jura defenderat. Quam voluntatem confirmarunt in eo teſtimonia et officia Zizendorfii, & praesertim Eugenii Sabaudi, quorum auctoritas magna quidem apud omnes, & in primis gravis erat. Poſt id cum saepius in conspectum ipſius Caesaris veniſſet, narravit ei, quid quisque adversariorum suorum voluerit, cogitarit, admiserit, & se retractaturum professus eſt, ſi quid forte ex calamo suo excidisset, quod non posset honeſte vereque defendere. Sed plane illum intelligere volebat se tanta in invidiae flamma non futurum, si Clericorum et Monachorum moribus & consuetudinibus pepercisset; qua in re se Casſinii Cardinalis secutum esse exemplum dicebat, quo sane nihil acrius ad nimias Eccleſiaſticorum libidines vituperandas. Proferebat etiam in medium auctoritatem Bossuetii, de

Marca, Thomaſinii, aliorumque, ut plerasque suas sententias cum illorum judicio mirifice congruere oſtenderet. Sed quod hi rationibus, Jannonius impetu et ira saepe persequitur; qua de caussa juſta prudentum reprehenſione non caruit. Placuit tandem Caesari praemio hominem afficere, quod esset et laborum fructus, & adversus pericula propugnaculum atque praeſidium. Factum itaque decretum exeunte Octobre an. MDCCXXIV. quo Caesar ex aerario Siciliae quotannis pendi jussit Jannonio mille florenos, & quod honorificentiſſimis verbis conceptum fuit, ejus exemplar infra exscribere juvabit (1). Cum tanto Cae-

[1] *Avendo S. M. C. e C. preſenti gl' importanti ſervigj fatti dall' Avvocato D. Pietro Giannone alla ſua Real Corona per aver ſoſtenuto con tanto vigore ne' ſuoi libri le ſue regalie ed alte preminenze, avea riſoluto S. M. che fosse impiegato in poſto conveniente alla ſua dottrina e merito. E perchè preſentemente non vi è occaſione di vacanza, ha ſtimato ordinare, che intanto la servisse in queſta Corte presso la sua Imperial perſona, ſom miniſtrandogli per ſuo ſoſtentamento fiorini 1000. l' anno da pagarſegli meſe per meſe. E perchè la preciſa volontà è che con effetto gli foſſero pagati, comanda a' ſuoi Uffiziali, che dalla Caſsa ſegreta de' Spagnuoli meſe per meſe ſe gli pagasse il contingente di fiorini 80. ovvero a ſua propria elezione queſto pa-*

saris beneficio se a morte ad vitam, a desperatione ad spem revocatum esse diceret, gauderetque, quod in Germaniae luce cognosceretur, atque verſaretur in summorum hominum vel flore, vel robore, omni mente & cogitatione exquirebat qua ratione suum gratum ac pium in Caesarem animum oſtendere, & ante collectam famam non modo conservare, sed etiam augere posset. Tum opus de *Triregno* inſtituit, quod satis bellam esse materiem ajebat ad Regiae poteſtatis jura vindicanda. Ea propter Caesaream bibliothecam frequentabat, consulebat etiam, qui in his rebus peritissimi habebantur, et nulli parcebat induſtriae, quo doctior in omnis juris scientia evaderet. Delectabatur etiam indagatione rerum politicarum, et de his sapienter judicasse, et multa acute ipsum prae-

gamento ſi assegnasse ſopra i diritti della Segreteria di Sicilia incorporati a S. M. colla preciſa deſtinazione, non però che ciò dovesse eſeguirſi inſino a tanto, che non ſarà il medeſimo provveduto di poſto onorevole e conveniente a' ſuoi meriti ed eminente dottrina. Vienna li 31. Ottobre 1724. Il Marcheſe di Rialp. Al Preſidente del Supremo Conſiglio di Spagna.

vidisse ex ejus ad Carolum fratrem litteris intelligi poteſt. Ejus quoque operae & vigiliae deserviebant amicis, civibus, iisque omnibus, qui illum ſibi caussarum, quae Vindobonae in Hispanienſi, ut vocabant, Conſilio agebantur, patronum adsciscebant. Maxime illuſtres fuerunt illae, quibus cognoscendum erat de publicis quibusdam juribus (et cum de jurisdictione disputabat, prorsus videbatur in suo regno versari) Calabrorum, atque urbium Capuae, Cajetae & Oſtanii, nec non eae, quibus patrocinatus eſt juribus Montis Mileti, Madalonae et Ariciae Principum; et cum defenſionem arripuiſſet teſtamenti Urbani VIII. pro Maffeo Barberinio adversus Corneliam Barberiniam, quae exhaeredare ipsum volebat, propterea quia juſto matrimonio genitus haud erat, se ad respondendum et ad agendum et ad cavendum peritiſſimum oſtendit. Neque eſt tacendum magni fuisse Conſtantino Grimaldio operam Jannonii, ſine qua nimiis adversariorum viribus (conspiraverant enim adversus eum Althanius Cardinalis, Romanus Pontifex, et Jesuitae, quos praesertim insectatus fuerat iis in scriptis,

quibus oppugnandam susceperat philoſophiam & theologiam Scholaſticam) oppressus fuisset. Ab illo quoque, ut de ceteris ſileam, qui ejus doctrinae plurimum tribuerunt, opem petiit Vanespenius contra potentissimorum hominum conspirationem, sperans Jannonium iisdem armis cum iis posse confligere, quibus se ipsum texerat. Quanto autem ferocius ille Eccleſiaſticorum potentiam atque artes oppugnabat, eo acrius illi exardescebant ad ultionem, & ii ipſi, qui antea cuniculis, nunc aperte & palam eumdem petebant. Hos vero dum maledictis insectabatur, imitatus mihi fuisse videtur Sophocleum Philoctetem, qui accepta injuria ea spectacula quaeſivit, quae ei acerba fuere. Primus omnium in certamen venit Philippus Anaſtaſius Surrentinus Archiepiscopus, in quo tanta erat cupiditas dominandi specie religionis tuendae, ut semel iterumque Dioecesi sua et Regno abire coactus fuerit. Romae dum esset an. MDCCXXIV. *Apologiam* quamdam in vulgus edidit, qua inter cetera contendebat Chriſtum, minime vero Principes, dedisse Clericis poteſtatem exercendi judicia, & coercendam esse petulantiam Jan-

nonii, ne contagio mali manaret latius, quod ausus fuiſſet tribuere Principibus quae Dei sunt. Facilis quidem & prompta fuit defenſio dictorum Jannonii; ut vero injuriis, quae propoſitae fuerunt ab Anaſtaſio, responderet, non admodum elaboravit, cum ex his intelligi poſſet ipsum impetu potius quodam animi atque odio, quam cogitatione et veri ſtudio illam Apologiam exaraſſe. Gravius accepit Petrus ob violatam amicitiam, quae ab Octavio Ignatio Vitaliano, cujus opera usus fuerat in sua Civili Hiſtoria Neapolitani Regni edenda, adversus hanc scripta fuere. Spectabant haec maxime ad poteſtatem, quam, Northmannis & Svevis imperantibus, Magni Siciliae Cancellarii exercuerant in Clericos, qui in domo Principis habitabant, ad hujus poteſtatis originem, et ad caussas, quibus ipsa tranſiit in Regii Sacelli Praefectum. Merito quidem affirmavit Vitalianus male interpretatum fuiſſe Jannonium caput quoddam *Inveſtiturae*, quam an. MCLXXXXVIII. Innocentius III. Conſtantiae Imperatrici atque ejus filio Friderico II. concesserat, quam ob rem audacior factus alia male et injuſte reprehen-

dit. Hujus inſcitiam notavit Petrus, nec unquam pro sui defenſione arma sumpſit, quin gladiatoriam iracundiam prae se tulerit: homo enim erat asper, & durus oratione & moribus, usque eo ut malediceret iis, qui contra se dicerent. Sed caussa etiam fuit major Jannonio de Sicula hiſtoria disserendi, cum jussus fuisset a Caesare jus suum persequi adversus Romanos Pontifices Clementem XI. et Benedictum XIII. qui Conſtitutiones promulgaverant ad abrogandam Monarchiam Siciliae, omne scilicet jus illud proprium Legatorum Pontificiorum, quod ab Urbano II. Siciliae Reges obtinuisse dicebantur. Diu haec controverſia duravit, et quae scripto mandavit Petrus, ut probaret jus illud ratum esse debere, plausu maximo a Caesareis excepta fuere. Ex quo factum eſt, ut ipse cogitationem susceperit dilatandi quae antea coarctaverat, vulgandique opus Lipſienſibus typis. Sed iſtud latet adhuc in occulto, nec scimus ad quos ipsum pervenerit. Emanarunt interea Romae bina volumina, quae ita inscripta erant: *Rifleſſioni morali e teologiche ſopra l' Iſtoria civile del Regno di Napoli eſpoſte al pub-*

Digitized by Google

blico in più lettere familiari di due amici da Euſebio Filopatro. Auctor horum erat homo Neapolitanus atque Jesuita nomine Josephus Sanfelicius, qui et sua sponte, et multorum vocibus in illum furorem impulsus fuerat, ut Jannonium omni contumelia tanquam impietatis & seditionis reum perſtringeret. Quod illa, quae ipse scripſit, sunt tota commentitia & vix digna lucubratione anicularum, risu a prudentioribus excepta sunt. Quid? Huic calix mulſi impingendus erat, ut plorare deſineret? Sed nihil dulcis habebat in pectore Jannonius, qui cum solitus esset, ſive haberet adversarium, ſive non haberet, pugnacissime defendere sententiam suam, vehementer gavisus eſt se ſibi obtulisse hominem insulsum, audacia et impudentia superbientem, quem atro dente peteret. Nec minus hujus impudicam impudentiam repressit Comes Harrachius, cui tradita fuerat, mortuo Althanio Card., rerum Neapolitanarum adminiſtratio. Nam ut ipse audivit ab iis, quos consulendos putavit, illo opere famam multorum, & sacra Principis jura violari, poenam conſtituit in eos, qui idem aut legissent,

aut retinuiſſent, aut vulgaſſent, et auctorem exilio mulctavit. De hoc nonnulli gravius decernendum putarunt: ſed Pro-Rex ſe rogari ſivit a Card. Cinfuegoſio Caeſaris ad Pontificem Legato, ut ſupplicis miſereretur. Renovatae etiam veteres, quae obſoleverant, leges fuerunt, quibus vetabatur imprimi libros in Neapolitano regno, aut alibi impreſſos in illud comportari ſine eorum, quibus ea res a Rege mandata eſſet, examine atque conceſſione (1). Atque ego Sanfelicii impudentiam non miror, at illos homines ſapientiſſimos, quorum magna erat Romae auctoritas, miror, qui cum Jannonio luctari ſiverint Jeſuitam imbellem atque anilis animi, qui ſane effecit, ut adverſarius ſuus exultaret audacius. Eo ipſo tempore, quo ſe ad reſpondendum Petrus comparabat, epiſtolas a Garofalo accepit, quibus erudite atque acute coarguebantur Sanfelicii errores plurimi; ſed non alieno egebat auxilio pugnaciſſimus homo, qui ex lateribus, atque

(1) Harum rerum narrationem a Capaſſio contextam vide ſis in vol. Act. Lipſienſium, quod eſt de rebus an. 1729. p. 423.

lacertis suis nobilitatus erat. Texuit itaque opus, quod inscripsit; *Profeſſione di Fede ſcritta da Pietro Giannone al P. Giuſeppe Sanfelice Geſuita &c. co' dubbj propoſtigli intorno alla ſua morale.* Minime dubitabis perpetua ironia usum fuisse Jannonium affirmantem se tandem ad sanam mentem et ad Catholicam Ecclesiam rediisse monitis Sanfelicii, et magiſtrum sibi fuisse illius opus, ut tribueret Romano Pontifici tanquam Deo omnium tum divinarum, tum humanarum rerum poteſtatem, ut Cardinales dignitate aut pares aut superiores Regibus esse censeret, ut sanctissima et omnino divina reputaret omnia religiosarum familiarum inventa, quae non ad colendam religionem, sed ad augendam potentiam atque divitias excogitata fuisse antea affirmaverat. Poſt id propius adoritur adversarium suum, et multa quae dixerat in hiſtoria civili iterat, ut probet nullam huic fuisse caussam se calumniandi atque reprehendendi. Illud vero crimen de Epicurea philosophia non repellit a se, sed illudit tanquam frigidam et jejunam calumniam, et ubique genus ejusmodi scriptionis adhibet, ut trahat in odium non

modo adversarium suum, sed omnes eos, qui de rebus sacris et religiosis, omnique Pontificali jure opinionum commenta pepererunt. Fuit profecto Petrus in hos intemperantior quam debuit; sed se imitatorem fuisse dicebat viri illuſtris Sancii, qui ad irridendas confutandasque calumnias Cardinalis Perronii Episcopi Eberovicensis ſimilem *Fidei Profeſſionem* ediderat (1). Scriptum suum cum misisset ad Capassium prudenter et amice ab illo admonitus fuit, ne illud in vulgus prodire ſineret; quod si fecisset, novis profecto illum conflictatum iri moleſtiis per illos maxime religiosos homines, quos in odium atque in contemptionem adducere ſtudebat; erigeret potius et confirmaret se ipsum, ſi qua subeunda dimicatio esset, ut Principum jura, quae cum Catholicae Eccleſiae juribus com-

(1) Haec ita inscribitur: *Confession Catholique du Sieur de Sancy, et declaration des cauſes tant d'Etat, que de Religion, qui l'ont meu a ſe remettre au giron de l'Egliſe Romaine*. Multa etiam ſurripuisse videtur Jannonius ex libro edito Parisiis an. MDCLXXVI. cum hoc titulo. *Les nouvelles lumieres politiques pour le gouvernement de l'Eglise, ou l'Evangile nouveau du Cardinal Pallavicini, revelé par lui dans ſon hiſtoire du Concile de Trente*.

mixta sunt, defenderet. Tum, quod raro accidebat, passus eſt se moneri a viro sapientissimo; non ita tamen compressit opus, ut nunquam emanare posset, eidemque locus datus eſt eo in volumine, quod Jannonii *Opera poſthuma* inscribitur. Potuisset quidem facile Jannonius nonnullorum reprehenſiones contemnere, cum audiret tanta et tam praeclara de suo opere in Germania, in Gallia atque in Britannia fieri judicia, ut illud immortalitatem consecutum jam esse videretur. Plures etiam adlaborabant, ut illud ipsum in Latinam, in Britannicam, in Germanicam, atque in Gallicam linguas converterent, & Jacobus Ogilvius cum suam interpretationem Britannicam an. MDCCXXIX. vulgasset, laudem et utilitatem haud mediocrem ab ipsa accepit. Qua de re cum scriberet ad Jannonium, cum illo se partiri velle emolumenta sua dixit, mittens homini satis largum pecuniae munus cum quibusdam operis exemplaribus. Poſt haec in aciem dimicationemque venit Sebaſtianus Paulius Lucenſis vir eruditus, neque infacundus ex ea familia, quae *Clericorum Regularium Congregationis Matris Dei* ap-

appellatur. Edidit enim librum, cui, nulla scriptoris, loci atque temporis appoſita nota, titulum fecit: *Annotazioni critiche ſopra il nono libro del Tomo II. della Storia civile di Napoli del Sig. Pietro Giannone &c.* Par pari retulit Petrus, vulgato opuſculo, quod inscripsit: *Riſpoſta alle Annotazioni critiche ſopra il nono libro della Storia civile del Regno di Napoli an.* 1731. Quod iracundi proprium est animi cupere, a quo laesus eſſe videatur, ei quam maximum dolorem inurere, Petrus persecutus est oratione sane feroci objurgatorem suum, sed quod ejus licentia nimium habere visa est acrimoniae viro prudentiſſimo Capassio, cujus judicium exquiſierat, antequam librum emitteret, multis mitigationibus ipsam lenivit. Dolebat praesertim Jannonius, quod homo, quocum familiariſſime Vindobonae vixerat, eo tempore, quo ille sacras ad Caesarem conciones habebat, repente, commutato animo, ad contrarias partes tranſierit; augebatque dolorem suspicio, quod Matthaeus Aegyptius aliique doctrina et gravitate clari, homines ejus aut probaverint conſilium, aut in re gerenda se adjutores praebuerint. Paulii

animadverſiones ſpectabant maxime ad hiſtoriam Northmannorum, quam ita tractari a Jannonio ajebat, ut plena errorum eſſent omnia. Defendit hic dicta a ſe, & eruditionis et argumentorum copia prudentioribus ſatisfecit (1). Tum etiam accuratius quoddam et exquiſitius attulit dicendi genus, et leporem et

[1] Unus inſtar omnium erit Ludovicus Muratorius, qui haec Grimaldio ſcripſit.

La riſpoſta del P. Paoli, di cui mi ha favorito V. S. Illuſtriſsima, mi è felicemente giunta. Mi ſon poſto immediatamente a leggerla, e non me la ho potuto ſtaccar dagli occhi, ſe non dopo aver letto l' ultime parole. L' Autore ha adoperato non il pettine, ma la ſtriglia; e probabilmente il povero Religioſo non tornerà al ſecondo assalto. Vero è, che egli con termini civili aveva fatta la ſua critica, e pareva, che meritasse miglior trattamento; ma quel benedetto Veſuvio mette un gran fuoco in voi altri Signori. Mi ſcrive ella, che il Sig. Giannone ne è l' autore. Non l' avrei creduto, che lo ſtile mi pare assai diverſo. Forſe la collera l' avrà mutato. Certo è che chiunque ne ſia il Campione, uomo è di polſo, e che ſa maneggiar l' erudizione. Però quantunque ſi tratti d' un amico mio, il quale m' increſce, che ſia ſtato sì ruvidamente accolto, tuttavia la prego di ringraziar il Sig. D. Carlo, e l' Autore, perchè m' abbiano voluto ſpettatore di queſta zuffa &c. Modena 7. Settembre 1732.

salem interdum consecutus est, quod delectatione aliqua alliciendos lectores putavit. Haec victoria superbum ingenium immodicamque linguam magis magisque acuit, et cum impune nemo se cum illo dimicaturum putaret, comprimebatur odium, quod Pontificalium jurium defensores conceperant. Sed fervidi animi vir non poterat conquiescere, omneſque captabat occaſiones a se magis magisque abalienandi adversariorum animos. De iterum edendis epiſtolis Petri de Vineis Friderici II. Caesaris Cancellarii cogitationem suscepit, et non mediocriter ea in re, quam tamen exitu non praeſtitit, elaboravit. Rogatu Castellii, Conſilii Colateralis, ut vocabant, Regentis, cui poſtulanti nihil solitus erat recusare propter summam hominis auctoritatem et benevolentiam, libellum composuit, quem ita inscripsit: *Breve Relazione de' Conſiglj e Dicaſterj della città di Vienna*. Extitit qui illum in Latinum verteret, & Auctor ipse typis imprimendum curavit Venetiis cum hoc titulo: *Jani Perontini Juriſconſulti de Conſiliis & Dicaſteriis, quae in Urbe Vindobona habentur, liber ſingularis: Halae Magdeburgicae MDCCXXXII.*

Caussa illi fuit anagrammatis involucro tegendi suum nomen, quod verebatur odium multorum, ac praesertim Hispanorum, quos Caesar adhibebat in adminiſtratione rei publicae, quosque illo libro momorderat. Queſti & alii sunt de Jani Perontini injuriis, & Vindobonensis Archiepiscopus & Pontificius Legatus de laesis ab eo suis juribus vehementer atque iracunde cum Caesare expostularunt. Neque defuerunt qui affirmarent eumdem quaedam magni momenti, quae ad Aulicum, ut nominant, Consilium, aliaque majora Tribunalia pertinebant, praetermisisse, atque idcirco opus hujusmodi parvi esse pretii. Habuit alios aequiores judices Jannonius, neque facile dixeris, utrum ille magis praeconiis an objurgationibus, amicitiis an inimicitiis claruerit. Efferebant praesertim quidquid ex illius officina prodibat Scriptores Actorum Lipsiensium, quorum in numero cum essent nonnulli, qui non tam inimico quam maledico dente carpenda susceperant geſta Romanorum Pontificum, iis libenter Petrus se culpae socium adscribebat. Quapropter ut a Menckenio, quocum sibi erat epiſtolarum commercium, intellexit Joan-

Digitized by Google

nem Capium laborare in Lateranensis Concilii, quod a Benedicto XIII. anno MDCCXXV. habitum fuit, historia conscribenda, non pauca illi suppeditavit, quibus hanc pleniorem faceret. Quid? Nonne & illa tristia fuerunt quae exaravit, ut probaret ad Julium II. Pontificem pertinere illa Isaiae verba: *Perdam Babylonis nomen*, quae scripta leguntur in quodam Ludovici XII. Francorum Regis numismate? Quod haec ipsa fuerat Jacobi Augusti Thuani sententia, hujus operum editor Samuel Bucklejus Britannus magnum accessurum suae editioni ornamentum putavit, si Jannonii dissertationem cum iisdem operibus edidisset. Interim magna orta est controversia inter Clementem XII. & eos, qui res Neapolitani regni pro Caesare administrabant, caussa Beneventani Archiepiscopatus. Cum hoc privatus fuisset Card. Coscia, ejus in locum sublegit Pontifex Sinibaldum ab Auria Genuensem, qui nulla mora ad exequendum suum munus venit. Id ut auditum Neapoli fuit, extitere qui ad Pro-Regem, ejusque *Collaterale Consilium* referrent, prohibendum Archiepiscopum Beneventanum, cu-

jus ferme tota Dioecesis constat ex locis Neapolitano regno subjectis, quidquam in his conari adversus Caesaris leges. Hic enim edixerat Regni ſacerdotia alienigenis haud danda esse, & ſine sua confirmatione nullas fore Pontificias Conſtitutiones, ceteraque Romanae Curiae jussa, si quidquam contra rem suam, & de rebus & de personis, quae in ditione & poteſtate sua essent, decrevissent. Adversus haec Pontifex suum imperium, quod in Beneventano Principatu habet, jactabat; & ut suum jus teneret, & ut Neapolitanorum injuriam persequeretur, litteras ad Caesarem dedit. Neapolitanis advocatus venit Jannonius, sed frustra, quamvis libellum exaraverit ut probaret, Archiepiscopum Beneventanum omnem vim sui juris in subjectos Regi populos amittere, nisi hujus voluntate comprobetur. Omnino is triumphare sibi videbatur, quoties se se illi occaſio offerebat Pontificiam majeſtatem asperioribus verbis perſtringendi. Sed quae ſperabat praemia a Principibus, minime obtinuit; & poſtquam Neapolitanum regnum, quod accidit an. MDCCXXXIV., in Hiſpanorum poteſtatem

pervenit, tot difficultatibus affectus atque afflictus fuit, ut suae illum imprudentiae fortasse poenituerit. Quae ei juſſu Caesaris quotannis pendebatur pecunia ab aerario Siciliae regni, hoc ammisso, solvi desiit, eaeque erant anguſtiae Caesarei aerarii, ut ille jam de sua fortuna desperaret. Itaque Neapolim cogitare coepit, hortantibus amicis, & ſtimulos addente fama, quae de bonitate & beneficentia et de ſtudio in litteras Caroli Regis Borbonii percrebuerat. Dies, quo Vindobona disceſſit, fuit III. Kal. Sept. an. MDCCXXXIV. Paucis poſt diebus Tergeſte pervenit, ubi cum biduum propter tempeſtatem fuisset, tandem Venetias poſt. Id. Septembr. appulit. Acceptus ibi hospitio fuit ab Angelo Pisanio Senatore amplissimo, neque mediocribus honoribus affectus ab Galliarum & Hispaniarum Regum ad Venetorum Rempublicam Legatis. Sparsus interea rumor eſt ab illius inimicis eumdem ab Caesarea bibliotheca abſtulisse, & secum asportasse exemplar epistolarum Friderici II. Imperatoris. Cum res ad aures ipſius Caesaris pervenisset, facile fuit Garellio, qui illi erat a bibliotheca, genus hujusmodi calli-

Digitized by Google

ditatis & calumniae in odium accuſatorum retrahere. Non pari felicitate data eſt opera ab illius Neapolitanis amicis, Vincentio de Hippolytis, Nicolao Cyrillio, Franciſco Bonocorio, Carolo Mauro & Caeleſtino Gallianio, ut ei poteſtas permitteretur redeundi in patriam. Fieri id non poterat, quin gravis offenſio concitaretur Romani Pontificis, & cum e re sua esse tum putaret Carolus Rex illius ſibi conciliare voluntatem, de hoc placando, deque reſtituendo Jannonio se ne rogari quidem est passus. Tum hic, cum ſine periculo Venetiis se posse commorari ſibi persuaderet, hoc in loco tabernaculum vitae suae collocare deliberavit. Nec solum illum impulit ratio, ut ita faceret, sed etiam auctoritas summorum virorum, quos inter honoris caussa nomino Angelum Pisanium, Antonium Cornelium, Antonium Contium, & Dominicum Pasqualighium, qui etiam dederunt operam, ut ipse ad docendam juris prudentiam in Academia Patavina invitaretur. Sed malo conſilio obſtitit illorum ſtudiis, & qui locus quietis & tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximae moles mole-

ſtiarum, & turbulentissimae tempeſtates extiterunt. Cum conquiescerent nunquam ejus inimici, inter quos eminebant Jesuitae, memores quam multa non modo acute, sed etiam facete et ridicule in se ipsos collegerat, cum Sanfelicii accusationibus reſpondit, insusurrabant quotidie potentiorum auribus haud ſerendum hominem turbulentum, inſidum, propterea que Vindobonae desertum ab officiis amicorum, atque hac una re notum, quod petulantissime in sacros homines, in Romanos Pontifices, atque vel in ipsam Catholicam religionem esset invectus. Addebant etiam illum laeſisse Venetae Reipublicae jura, cum in sua hiſtoria negaſſet huic ullum esse dominatum in Adriaticum mare, affirmaviſſetque quae acta Venetiis dicuntur Alexandrum inter Pontificem hujus nominis III. et Fridericum I. Caesarem, poeticis magis decora esse fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis tradi. Hanc accusationem, quam periculosam fore praevidebat, minime negligendam censuit. Libellum itaque in vulgus ſparſit, qui poſtea inter ejus opera post-

huma relatus fuit (1), quo probavit nullam se injuriam fecisse Venetis, quod eorum jura aliis ex fontibus, hisque remotioribus, manarent, ad quos minime respexit, nec reſpicere debebat in sua Neapolitana hiſtoria conſcribenda. De iis vero, quae convenisse inter Alexandrum Pontificem & Fridericum Caesarem nonnulli affirmabant, idem se judicasse ajebat, quod illuſtriores rerum Venetarum scriptores, & ipse Paullus Sarpius judicaverant. Haec prudentioribus idonea visa sunt ad liberandum culpa Jannonium, quare ejus inimici alios commoliti sunt dolos atque machinas ad eumdem perdendum. Lex vetat optimates Venetos, et eos, quos hospites et contubernales habent, versari cum exterorum Principum Legatis. Quod hac in re

(1) Huic titulus eſt: *Riſpoſta di Pietro Giannone Giureconſulto ed Avvocato Napoletano ad una lettera ſcrittagli da un ſuo Amico, nella quale gli avviſa la poca ſodisfazione di alcuni in leggendo nel libro 13. della di lui Storia civile del Regno di Napoli al cap. I. la pretenſione de' Napoletani intorno al dominio del mare Adriatico; e l'iſtoria de' trattati ſeguiti in Venezia con Federico I. Imperadore, e l'atto di Papa Alessandro III.*

parum cautus esse videretur Jannonius, essentque multi, qui omnia ejus facta atque dicta explorarent ac maligne interpretarentur, capta hinc caussa fuit eumdem apud Inquiſitores criminandi. Horum jussu dum noctu ex domo Josephi Terzii caussarum patroni nobilissimi domum rediret (accidit hoc id. Sept. an. MDCCXXXV.) a lictoribus comprehenditur, rapitur ad tribunal, et tota Veneta ditione ſtatim exulare jubetur. Parata erat navis ad ipsum transportandum, et cum appulisset ad Ferrariensem Provinciam, ibi solus relictus eſt. Graves rumores tota urbe ſparſi fuerunt; sed brevi apparuit non satis juſtam fuiſſe caussam tantae severitatis exercendae in hominem magis fortuna, ut plerique affirmabant, quam culpa calamitosum, cui Pontificii crimini dabant quod viveret, aut aliquo in loco conquiesceret. Mutato nomine, Mutinam venit, quo in loco quadraginta & amplius dies fuit, Venetorum praesertim amicorum liberalitate sustentatus. A Pisanio etiam, qui erepta ejus scripta recuperavit, haec, libros, modicamque supellectilem accepit. Venit quoque ad ipsum Joannes filius, quem

ex Eliſabetha Caſtellia genuerat. Ut illum levavit hujus adventus, ſic afflixit miſerrima ejusdem conditio, quaſi ea lege natus eſſet, ut omnibus telis fortunae ejus vita, non ſecus ac paterna, propoſita eſſet. Quod ei spes aliqua oſtendebatur, res ſuas meliore loco fore Mediolani, eo, exeunte Octobre, venit. Commendatione Trivultii Principis, quocum intime Venetiis vixerat, ab hujus uxore, qua nulla erat femina lectior, aliisque genere, & doctrina inſignibus Mediolanenſibus honorificentiſſime tractatus fuit. Fortuna & jure belli regnabat tum in Mediolanenſi Provincia Sardiniae Rex, cujus voluntatem ut ſibi conciliaret Petrus, Auguſtam usque Taurinorum accedere deliberavit. Vix eo pervenit cum audivit juſſiſſe jam Regem ipsum, ut ille Mediolano, omnique ſua ditione exularet, quod non odio in Jannonium adductus fecit, ſed cupiditate gratificandi Romano Pontifici, quocum de graviſſimis rebus tractabat. Tum intellexit Petrus nullum eſſe in Italia locum, ubi ipſe conſiſtere poſſet, quare Genevam conceſſit invitatus non tam loci amoenitate, & aequis Helvetiorum legi-

bus, quam praemiis, quae illi proponebantur a Busquetio bibliopola, ſi de emendandis, augendis, atque iterum edendis scriptis suis laborem suscepisset. Non eſt credibile quantum ei licentiae, seu potius audaciae dederit Helvetiorum propria libertas, & domeſticus cum haereticis usus. Nihil potius habuit quam ut absolveret duodecim ante annos inchoatum opus, quod inscripsit *il Triregno*, propterea quia de tribus regnis in eo agebat, terreno scilicet, caeleſti et Pontificio, quibus totidem libros aſſignavit. Leonardus Panzinius, qui Jannonii vitam Italico sermone diligentissime atque copiosissime exposuit, formam non modo hujus operis adumbravit, sed declaravit omnia pene, quae in eo continentur, qua re quidem parum auctoris famae consuluit. Tum enim cognitum eſt Jannonium a se ipso, a chriſtianis inſtitutis, atque a sua dignitate defecisse. Turpiter ubique errat, dogmata omnium gentium catholicarum confirmata consensu convellere voluisse videtur: omnino nihil fieri poterat miserius, nihil perditius, nihil foedius. Ut nonnulla exempli caussa ponamus, cum Calvini-

ſtis et Sacramentariis Jannonius consentire videtur in eo quod pertinet ad Euchariſtiam, Poenitentiam, Purgatorium (libet uti uſitatis ab Eccleſia verbis) ad sacrarum imaginum et reliquiarum Sanctorum cultum, et ad auctoritatem et judicia Ecclesiae ipſius. De mortuorum resurrectione eadem ferme tradit quae Burnetius philosophus Anglus, nec niſi poſt resurrectionem lui poenas ab impiis, neque has aeternas fore arbitratur. Sunt alia hujusmodi quae arbitrio suo quemque tenere aut rejicere posse ait, et nulla re magis hominem philosophum quam libertate sententiae commendari. Postquam disputavit de opinionibus et legibus Hebraeorum, ad quas revocat terrenum regnum, et de Chriſti inſtitutionibus, ad quas caeleste regnum refert, persequitur copioſissime Papale regnum, quod praecipuum operis σκοπον fuisse facile dixeris. Tantum obtinuisse et habere Pontifices Romanos affirmat, quantum rapere potuerunt, et dum eorum politicam hiſtoriam, quam a capite repetit, exponit, et reddit rationem plurimorum factorum, ubique spargit virus acerbitatis suae. Hortatur demum Principes, ut

adverſus ereptores jurium ſuorum arma ſumant, ut vindicent errata ſuperiorum temporum, utque nulli parcant induſtriae, quo Chriſtiana reſpublica tandem aliquando exurgat, et in aliquo ſtatu tolerabili conſiſtat (1). Dum ea parabat Petrus, quae ad operis hu-

[1] *Qua mente opus hoc ſcribendum ſuſceperit Jannonius, ex his ad Trivultium Principem litteris cognoſci poterit.* Forſe per divina provvidenza ſarà diſposto, che que' miei ſcritti, ſopra i quali ho travagliato in comporli per lo ſpazio di dodici anni, che ſono dimorato ozioſo in Vienna (poichè la Corte di Roma, non potendo ottenere altro, impedì ſempre ch' io foſſi impiegato nelle pubbliche cariche de' Magiſtrati) ne' quali ſono dimoſtrate verità di gran momento, ed importanti non meno ai Principi Cattolici, perchè ſi accorgano delle tante uſurpazioni e ſorpreſe fattegli ſopra i loro Principati, togliendoſi loro più della metà dell' imperio, che Iddio ſopra i medeſimi ha loro conceduto, che a' loro ſudditi, proſciogliendoli da tante e sì dure catene, nelle quali la vana ſuperſtizione, l' altrui ambizione, avarizia e faſto gli tiene miſeramente avvinti e legati, le quali mie fatiche aveva io già deſtinate a' tarli ed alle tignole, poichè ſotto cielo ed in terreno Italico non avrebbono potuto certamente allignare. Forſe, dico, avverrà che in altro clima potranno vedere la chiara luce del ſole, naſcere, farsi grandi, e volare da per tutto. Iddio difenda me e queſti miei travaglj, che non furono impiegati ſe non che per la ricerca del vero, cioè per la

jusce editionem erant necessaria, sperans ex impudentia sua se quaeſtum haud mediocre facturum, adlaborabatque, ut typis imprimeretur hiſtoria civilis Neapolitani regni, quam in Gallicum verterat Bochatius, accidit res, quae eum de ſtatu omni dejecit. Habitabat Genevae apud Carolum Chenevejum, ad quem saepe veniebat Pedamontanus quidam nomine Josephus Guaſtaldius, qui cum Sardiniae Regis esset a cubiculo, ab eo se militiae vacationem habuisse fingebat. Hic se inſinuare in gratiam Jannonii, ejus concelebrare merita, fortunam dolere, ipsum omnibus prosequi officiis, et invitare quoque domum suam, quae erat ad ripam Lemani lacus in ditione Regis, aberatque ab urbe circiter millia passuum tria. Recusavit primo Jannonius, mox victus ficti amici precibus se cum filio paſcha apud ipsum, ut pote Catholico in lo-

co

conoſcenza dì lui ſteſſo. Curerò poco le altrui inſidie, proſcrizioni, e maledizioni, purchè egli gli protegga e benedica; ſicchè possa con verità e ſicurezza replicare ciò che il Santo Re Davide ſolea dire [Salmo 108.]. *maledicent illi, & tu benedices.*

eo commorantem celebraturum spopondit: Ante illud tempus venit ad eum Guastaldius, seque paratam habere dixit naviculam, ut domum suam carissimos hospites deferret, qui ſimul ac Venam (quod oppido nomen est) pervenerunt, bene & jucunde coenarunt. Cum post coenam Petrus cubitum se ire velle dixisset, neque propterea sermones inopportunos serere desisteret Guastaldius, hujus loquacitas illi suspicionem attulit inſidiarum. Tandem cum in cubiculum introductus eſſet & hujus fores clausisset, somnum haud capere poterat, quod obversabantur ejus animo res, quae timorem faciebant. Neque injuria. Nam magnus subito fit strepitus, fores franguntur, completur cubiculum armatis, & Guastaldius ipse, exuta omni humanitate, denuntiat retineri ipsum in sui Regis potestate. Proditionis crimen, Pedemontanorum ingenium, & quae omnium scelestissimus homo loquebatur & minitabatur, Petrus horruit, & iracunde execratus est; mox sedato animo, in arcem Miolanensem traducitur, & quamvis incertus esset de sorte sua, cum tamen vultum & eam constantiam prae se

Digitized by Google

tulit, quae decet virum fortem, et excipiendis fortunae telis diu assuetum. Post id Regis misericordiam imploravit, fidem obtestatus est Ormeae Marchionis, quo Rex ipse in primis utebatur in administratione reipublicae; et quae responsa tulit hujusmodi fuerunt, ut illum multa consolatione lenierint. Petiit a Senatu Genevensi, ut sua sibi scripta et libri redderentur, quos, ut de ipsius infelici casu auditum est, apud Isacum Vernetium spectatae probitatis hominem, et Jannonio ex animo amicum servari jusserat. Ut vero scriptione levaret carceris aegritudinem, Titum Livium e Latino in Italicum convertendum suscepit. Dum progrediebatur in opere, intellexit utilius et gloriosius fore, si de Liviana historia ea conscriberet, quae optimo in lumine collocarent, quae fuerint Romanorum religio ac ritus, quae civilis prudentia, quae caussae eorum potentiae et majestatis, et artes, quibus effecerunt, ut dignissimi potestate et dominatu omnium fere nationum putarentur. Hoc peracto, ex Gallico in Italicum vertit Partem IV. historiae Sanctae Marthae, quae est de rebus Italiae, et de familiis qui-

busdam Neapolitanis et Siculis, et librum de Lutheri cum Daemone congressione. Commentarium etiam de rebus suis censcripsit, quod nihil sit aptius ad delectationem lectoris, quam fortunae vicissitudines. Casus enim alienos intuentibus etiam ipsa misericordia est jucunda. Inter haec forte ad ejus manus pervenit Sabaudiae historia, ex qua cum colligere se posse putaret firma argumenta, ut probaret jus esse Sabaudis Ducibus, minime vero Romanis Pontificibus, de quo tum vehementer disceptabatur, nominandi eos, qui praeponendi erant majoribus illius Provinciae sacerdotiis, scriptum hac de re confecit, quod ad Regem misit. Regi gratissimum munus fuit, sed gratius illi erat, quod in sua potestate ſcriptorem ipsum haberet, quod ad reconciliandum sibi Pontificis animum, ac veteres, quae sibi cum eo erant, controversias dirimendas opportunum fore sperabat. Mirabuntur fortaſſe multi sapientissimum Regem suae magis utilitati quam gloriae hac in re consuluisse, nec se indignum putasse adhiberi dolos et astutias ad fallendum Jannonium. Hic postquam sex circiter menses fuisset in

Miolanensi arce, jussu Regis Augustam Taurinorum traductus est, et in arcem illius urbis conjectus. Non venit cum eo filius, qui usque ad illud tempus fuerat calamitatum ipsius socius. Nam data illi libertas fuit ut quo vellet abiret, dum ne in Sardiniae Regis ditione commoraretur; suppeditata etiam pecunia ad iter faciendum. Secum auferre optabat patris scripta, quod ei negatum est. Postquam Neapoli aliquandiu fuit, in Panno-niam, atque in militiae disciplinam profectus est. Cum ei semper ante oculos obversaretur patris miserrimi calamitas, petiit a multis, ut illius patrocinium susciperent. Sed frustra. Obduruerat enim Rex ad supplicum voces, cum suis rebus convenire arbitraretur minime ab se dimittere hominem, qui facile solvebat linguam ad jurgia atque maledicta. Praeter quam quod gloriosum sibi fore putabat, si animum sanasset, quem pravae et perversae opiniones conturbaverant. Si fidem habere volumus orationi Jo. Baptistae Preverii Oratoriani, ut loquimur, Presbyteri, non modo sermone ac disputatione, sed pene conspectu ipso congressuque obtinuit a Jan-

nonio, ut is praeteritae vitae facta et errata ex animo detestaretur. Hinc illa retractatio apud Quaesitores Fidei (1), quae

[1] *Hanc totidem verbis exſcribere haud pigebit.*

I. Intorno all' iſtoria civile del regno di Napoli, dico, che non ebbi altra mira ſe non che di chiarire la polizia e le leggi di quel regno; e poichè non poteva nettamente concepirſi se non con dare un' idea dell' ordine Eccleſiaſtico, che occupa la maggior parte di quello, mi convenne trattare degli Ordini regolari, e con tale occaſione degli abuſi. Se ho ecceduto in narrargli, come ora me n' accorgo, intendo ritrattarmene, e ſe poteſſi, vorrei che foſſero annullate tali ſtampe, affinchè non si apporti per quelle ſcandolo ad altri e danno alla Chieſa; con che li condanno e ritratto.

II. Per ciò che riguarda la riſpoſta fatta al P. Sanfelice, il quale con due tomi in quarto ſtampati in Roma ſcriſſe non tanto contro l' iſtoria ſuddetta, quanto contro il ſuo Autore, caricandolo di molte contumelie, sicchè dal Conſiglio *Collaterale* di Napoli fu dichiarato per libello famoſo, non ebbi animo di offendere la Chieſa di Roma; ma fu dettata unicamente per deridere il detto Padre Sanfelice, il quale m' imputava di eretico, perchè aveva finte maſſime eſorbitanti della poteſtà Pontificia, facendogli vedere, che quelle si leggono in più autori Romani, e ben ſapendo, che autori ſerj e gravi abborrivano tali maſſime; e così parimente de' miracoli, che si narrano da altri ſcrittori non approvati da' più gravi e ſerj. Nè intesi mai,

adeo fama celebrata est, & de qua disputatur adhuc, num ſimulata, an sincera religio, num mutatio mentis, an timor spesque clementio-

che quella ſcrittura si pubblicasse, nè mai conſentii, che quella fusse data alle ſtampe; anzi procurai, che non mai si ſtampasse, come fatta per puro ſcherzo e per derisione del P. Sanfelice presso li miei amici; e con dolore ſeppi poi, che manoſcritta girasse intorno; onde siccome non fu mia volontà di pubblicarla, così ora proteſto e desidero, ehe ſe ne ſpenga affatto ogni memoria, e la casso, irrito e ritratto, avendola come non fosse ſcritta, nè mai da me dettata.

III. Intorno al libro *de Conſiliis & Dicaſteriis urbis Vindobonae*, questo libro non lo riconoſco per mio, ma fu rifatto da una mia relazione manoſcritta, che io mandai in Napoli ad un Reggente del Consiglio *Collaterale*, il quale mi ricercò che gl' inviassi una diſtinta relazione di tutti i Consiglj e Dicaſterj di Vienna, la quale la dettai in lingua Italiana, e gliela mandai per ſua iſtruzione ed uſo, non già che dovesse pubblicarsi in iſtampa. Poi ſeppi, che capitata in mano d'alcuni Tedeſchi, la fecero tradurre in lingua Latina, e che la dettero alle ſtampe, molto alterata però dal ſuo originale manoſcritto in lingua Italiana; onde non devo riconoſcerlo per mio, e perciò tutte le propoſizioni, che per cauſa mia ſi foſſero ritrovate in quello, ſcandaloſe, temerarie, falſe, contumelioſe, erronee, e proſſime all' ercsia, anche le ritratto e condanno, abjuro e deteſto.

ris fortunae ipsam pepererit. Nihil in ea praetermiſſum eſt a Jannonio, quod aliquam factorum suorum excusationem habere pote-

IV. Per ciò che riguarda gli altri manoſcritti mandati in Roma dalla Regia Maeſtà del Re di Sardegna, il primo de' *Rimedj contro le ſcomuniche invalide* fu dettato contro la cenſura del Vicario di Napoli, il quale credette poterla fulminare, perchè io non aveva cercato a lui la licenza di poter ſtampare l'Iſtoria civile del regno di Napoli; onde fu compoſto per mia difeſa, affinchè fosse rimoſſa come nulla ed invalida; e le altre parti, che lo compongono, *de' modi, de' quali i Principi poſſono valerſi per farla rivocare*, furono dettate nel caſo, che il Vicario non volesse da se stesso rivocarla; ma tutte queſte ſcritture non furono fatte per darsi alle ſtampe, nè poi più ſervirono, poichè il Cardinal Pignatelli allora Arciveſcovo di Napoli, conoſciuto il motivo, ove ſi appoggiava la cenſura ed il mio ricorſo fatto a Sua Eminenza, perchè la togliesse, mentre io era in Vienna, mi mandò l'aſſoluzione, e fu rimossa e cassata da quell'Arciveſcovo; onde non fu d'uopo nemmeno pubblicare quelle ſcritture, ma rimaſero in profondo obblio, come quelle, che più non ſervivano, nè ebbi mai l'animo di ſtamparle, e dovunque manoſcritte si trovino, anche ora le casso, irrito e ritratto, abiuro e deteſto.

Così l'altro manoſcritto intorno *alla proibizione de' libri* non fu compoſto per darlo alle ſtampe, ma unicamente per sincerare l'animo debole d'alcuni, e per dimo-

rat, quod vel ad summae improbitatis odium deprecandum, vel ad illudendos magistros suos factum ne ab ipso fuerit ignoramus. Cum-

strare quanto potei a mia difeſa in quelle propoſizioni, ſopra le quali ſi appoggiò la proibizione; ma queſto non biſognò, e ſi tenne ſempre naſcoſto per non pubblicarſi, onde ſe in quello ci fosse eccesso, come conoſco esservi, nè ſi conformasse alla credenza della Chieſa Romana, lo rivoco, ritratto, abiuro, e deteſto.

V. Per ciò che riguarda gli altri manoſcritti e note, che teneva meco, e ritrovati, non ſono che cartole e piccole memorie, che ſecondo andava leggendo alcuni Autori io notava, ed ancorchè aveſsero relazione fra di loro e portassero ſeco un gruppo di diverſi errori, non furono da me abbracciati, ma unicamente per notare gli altrui sentimenti. Ed in ciò confesso di avere errato, perchè non doveva nè leggere tali libri, nè trascrivere da eſſi tali errori; onde tutte le ſuddette memorie deſidero che ſi casſino, aboliſcano, e non ſi ſerbi di eſſe memoria nè veſtigio alcuno, mentre le deteſto, irrito e ritratto ed aboliſco.

VI. Intorno al trattato del *Concubinato* non ſi ebbe animo di darlo alle ſtampe, ma fu ſcritto iſtoricamente per difesa di due capi dell' iſtoria civile, dove io parlava del concubinato antico de' Romani, nè mai ho creduto, che quello oggi fosse permesso. Contuttociò mi rincreſce di aver messo in iſcritto tale materia, dalla quale avrebbe forſe potuto recarsi ſcandalo. E perciò siccome non ebbi animo di ſtamparlo, così desidero, che ſe ne perda ogni me-

Quaesitorum Fidei judicio fuisset absolutus, actum cum illo est leniter atque humaniter, ſic ut pro voluntate in ipsa arce deambulare,

moria, e si abbia come non ſcritto, che però lo deteſto, irrito ed abiuro.

VII. In quanto agli ſcritti filoſofici ben si conoſce, che non ſono miei ſentimenti, ma bensì d'altri filoſofi, a' quali non mi uniformai; anzi in altre cartuccie furono da me notati i loro abbaglj, e da me conoſciute le beſtemmie e propoſizioni ereticali, e li ſcrissi per notarli, non già per abbracciarli; le quali proposizioni abiuro e deteſto.

Per ultimo. Quanto mai si trovasse in tali cartuccie e manoſcritti, ed ogni mia memoria, che non fosse conforme alla Santa dottrina della Chieſa e che potesse altrui essere di ſcandalo e di errore, tutte ritratto, rifiuto ed abiuro, e prego la Divina miſericordia; che ſiccome mi ha dato lume di conoſcere i miei errori, ſicchè ne aveſſi potuto avere pieno dolore e pentimento, così mi conceda il ſuo perdono, siccome lo chieggo alla Santa Madre Chieſa Cattolica, ed a tutti i ſuoi fedeli dello ſcandalo dato e danni recati: pregando in fine tutti a condonare i miei errori ed umane debolezze, ed avermi nell' avvenire nel loro concetto per uomo diverſo di quello, che forse aveva io dato occasione per i miei ſcritti di farmi credere a riputare, proteſtandomi di vivere e morire vero figlio ubbidiente alla S. Madre Chieſa.

E per mia maggiore ritrattazione [e ciò sia a tutti noto] quando la Santa Chieſa giudichi bene di fare ſtam-

et adeuntes ad se excipere posset. Ex eo tempore visus est delectari mirifice lectione sacrorum librorum, et opus etiam ejusmodi

pare queſta mia ritrattazione per metterla in pubblico ad esempio degli altri, mi ſarà ſomma gloria e conſolazione; però per maggiormente assicurare la S. Chieſa ed il ſuo tribunale di quanto quì in queſti fogli ho deteſtato e deteſto, mi ſottoſcrivo PIETRO GIANNONE.

Aggiungo a queſta mia ſpontanea comparizione, che ſupplico Voſtra Paternità molto Reverenda ſare ſcrivere qualmente nell' anno 1735. nel fine di Novembre, non avendo nè ſussistenza, nè terreno da potere abitare in Italia, forſe a motivo de' miei manoſcritti, così penſai di ritirarmi in Ginevra non già (per Dio grazia) a motivo di cangiar Religione, ma per necessità di vivere; e come pure la mia Istoria Civile di Napoli ſoprannominata la volevano tradurre, e farla ſtampare in Franceſe, così avevano a caro in Ginevra la mia aſſiſtenza. Con che mi portai colà per queſto fine, non avendo altra ſtrada da mantenermi. Ma non ſu poi ſtampata: ben può eſſere tradotta come ſo in fatti eſſere in parte tradotta in Franceſe, ma non mai ſtampata, che io ſappia, eſſendo ormai tre anni che io fui arreſtato, e che manco da detta città di Ginevra.

Debbo ben dire per maggiore ſgravio di mia coſcienza, che quando ſosse proſeguita la mia dimora in Ginevra, e non aveſſi avuta ſuſſiſtenza, probabilmente mi ſarei indotto a travagliare e comporre il quinto Tomo di detta

Digitized by Google

suscepisse dicitur, in quo nihil sonare atque olere debebat niſi quod sanctum ac religiosum esset. Belli caussa an. MDCCXLI. ab arce Taurinensi in Caſtellum Cevanum traductus fuit, quatuorque post annos, unde discesserat, rediit. Totos tredecim annos, quibus carceri addictus fuit, ita transegit, ut inſignia constantiae atque fortitudinis indicia dederit, quasi omnia, quae cadere in hominem possunt, despicere atque pro nihilo putare videretur. Curiose tamen inveſtigabat quid de se homines opinarentur; nam glo-

iſtoria. Quando mai fossi perciò incorſo in qualche errore, parimente deteſto il tutto, e ne chiamo la miſericordia di Dio ed aſſoluzione; con dire che in que' tre meſi e mezzo che ho dimorato in Ginevra, ho ſempra viſſuto cattolicamente sì nell' udire la S. Meſſa, che in ogni altro dogma ſpettante alla Cattolica Chieſa Apoſtolica Romana, ed infatti fui arreſtato nella Domenica delle Palme per eſſermi portato in un villaggio fuori di Ginevra, Stato di S. M. Re di Sardegna per adempire il precetto Paſquale. E queſto è quanto devo dire, e rappreſentare a voſtra Paternità in iſgravio di mia coſcienza. Pregando ognuno, che poſſa avere de' ſuddetti libri e manoſcritti, conſegnarli alla S. Chieſa, come iniqui, ſcellerati e ſcandaloſi, deteſtando il tutto.

riae sensum nunquam amisit, cujus cupido novissima exuitur. Optare etiam videbatur, cum multos fore praevideret, qui calamum sumerent adversus civilem hiſtoriam Neapolitani regni, ut aliquis existeret, qui famam suam a calumniatoribus armis prudentiae defenderet: nam posterorum judicium, quod de sua religione futurum esset, pertimescebat. Et quidem celebriores, qui Romae erant, theologi moliebantur aliquid exquiſitius Sanfeliciana responsione conscribere ad refellendas allatas ab ipso tristi arrogantia criminationes. Exarserunt praesertim Jo. Antonius Blanchius & Jo. Andrea Tria. Sed quid ego sentiam de Blanchii opere (nam de Tria levis armaturae milite silendum puto) ex iis, quae in superiori volumine exposuimus intelligi potest. Porro cum non pauca sint in Jannonii opere contumeliosius quam verius dicta, quaedam absurda et a sanctioribus Romanae Ecclesiae institutionibus aliena, dignum illud erat censoria animadversione. Sed oportebat adhibere certam rationem moderationemque dicendi, non blandiri alienae ambitioni, et ex aequo et bono, et ex certissimis hiſtoriae monumen-

tis omnia dijudicare; qua re factum esset, ut intelligeretur in tota illa caussa quid tenere debeamus, quid tempora tulerint, quid error affinxerit, quid invidia conflarit. Cum vero clarissimi viri sint testes Jannonium poenituisse, quod acerbe et aspere eòs accusàverit, quos Christus Ecclesiae consiliarios et administros esse voluit, id magno argumento est, longius, quam mortalis vitae et caducae famae termini postulant, illum spectasse. Antequam moreretur, ea omnia praestitit, quae praestare solent ii, quos sancta religio commendat. Octò tantummodo dies aegrotavit, cum inflammatio stomachum occupasset. Huic autem caussam dedisse putatur deambulatio matutina, cum caelum frigidum esset. Dies, quo vitae extremum spiritum edidit, fuit XVI. ante Kal. Apriles anni MDCCXLVIII. cum ageret ipse secundum supra septuagesimum aetatis annum. Nullum testamentum scripsit, cum antea per litteras significasset Francisco Melae homini sibi benevolentia conjunctissimo, quid de bonis suis Neapolitanis fieri vellet. Haec enim dividi jusserat inter Joannem et Fortunatam filios suos, et Elisabetham Ange-

lam Castelliam, ex qua illos genuerat (1). Media fuit statura, subnigro colore, facie oblonga, oculis venustis et acribus, et in uni-

(1) *Carolus Jannonius Petri frater, ut ſolus haberet fraterna bona, illos minime ex uxore, ſed ex concubina natos fuisse contendit. Lata a Regio Consilio ſententia fuit, quae declaravit fuisse Petro cum Caſtellia matrimonium. Joannes licet patri longe ingenio diſſimilis, maximis tamen a Rege beneficiis affectus fuit, in quibus dandis hanc rationem Rex ipſe ſubjecit.*

Informato il Re delle ſtrettezze, in cui trovaſi D. Gio. Giannone figlio ed erede del fu Dottor Pietro Autore della Storia Civile di queſto Regno, e conſiderando non conſentire alla felicità del ſuo governo ed al decoro della Sovranità, il permettere, che reſti nella miſeria il figlio del più grande, più utile allo ſtato e più ingiuſtamente perſeguitato uomo, che il regno abbia prodotto in queſto ſecolo, è la M. S. venuta in dare a D. Gio. Giannone ducati 300. annui di penſione su' proprj ſuoi Allodiali. Lo partecipo nel Real nome a VS. Illuſtriſſima per l'adempimento.

Portici 8. Maggio 1769.

Bernardo Tanucci = al Sig. Conſigliere Caruſo.

Rogavit poſtea Joannes Regem, ut ejus beneficia poſt mortem ſuam transferrentur ad utilitatem filii & uxoris, & in haec verba reſcripſit Princeps. Dopo di avere il Re apertamente dimoſtrato quanto ſia a cuore della M. S. la felicità de' ſuoi popoli col promuovere le arti e le ſcienze

verso corpore, ut et in motu, omnique actione dignitatem quamdam prae ſe tulit. Cum

più utili coll'agevolare il commercio terreſtre e marittimo, e col rendere più corte e ſpedite le vie della retta amminiſtrazione della giuſtizia, coſtituendo provvidamente tanti premj ad uomini di merito, non ha laſciato la M. S., volendo vieppiù incoraggire i ſuoi ſudditi, di accogliere benignamente le ſuppliche date da D. Gio. Giannone figlio del fu Pietro autore dell' immortal opera intitolata la *Storia Civile* del Regno di Napoli, il quale ha chieſto, che la penſione vitalizia di annui ducati 300. aſſegnatagli su' R. Allodiali, ſi continuasse a corriſpondere dopo la ſua morte al di lui figlio, e alla di lui moglie e ſorella. E qnindi conſiderando S. M., che poco ſi converrebbe alla felicità del ſuo governo, e al decoro della Sovranità il laſciare ſenza un contrassegno di perenne guiderdone la ſucceſſione di un uomo di chiara fama, il cui pari non ha prodotto questo ſecolo, e cotanto utile allo Stato per avere con vigore, ingenuità e dottrina ſoſtenute le ſupreme Regalie del Regno, e perciò da altri a torto perſeguitato, è venuta la M. S. uſando di ſua ſingolar munificenza, e che non ha eſempio, in accordare al Supplicante la grazia, che ha chieſta. Ne prevengo di R. ordine le SS. VV. Illuſtrissime per loro intelligenza e del Giannune, e per l' adempimento.

Palazzo 5. Giugno 1780.

Il Marcheſe della Sambuca = Alli Sigg. Miniſtri della Pianta Allodiade.

tanta prosperitate usus esset valetudinis, ut raro medicina indiguerit, eludebat medicorum artes, atque eos, qui post adultam aetatem ad internoscenda corpori suo utilia vel noxia alienum consilium requirerent. Tenui victu ac deambulationibus, quibus semper delectatus est, vel ipsam diu sustentare se posse senectutem, quam anhelitus tentare coeperat, sperabat. Nihil tam oderat quam desidiosam vitam, et quamvis minime refugeret a congressu colloquioque amicorum, breve tamen post tempus se in solitudinem conferebat, ut in studiis doctrinae omne otium consumeret. Inter scriptores, quos diurna nocturnaque manu versabat, ei erant in deliciis Plutarchus, Baco a Verulamio, Thuanus atque Montagnius. Memoria valebat ſic, ut quidquid legeret, facile retineret; et quod ingenium acutum et perspicax habebat, verissime de scriptis aliorum judicabat. Si qui vero fuissent, qui sententiae atque opinionis suae voluissent esse participes, nihil occultabat, cum quod clausum erat in pectore, se in ore habere gloriaretur. Libertatem loquendi quae sentiret praesertim ostentabat, cum de clericorum usur-

pationibus et moribus, de Monachorum inſtitutionibus et artibus, de Regum juribus, de Pontificia majeſtate, de barbarorum saeculorum, ut ajunt, historia sermonem haberet; sed libertatem, quam sibi dari postulabat, aliis praecidere videbatur, cum indignaretur, siquis sibi aut voce aut scripto contradiceret. Haec ſive ambitio, ſive moroſitas incurrebat in reprehenſiones hominum, qui facile ab illo abalienabantur, cum nihil tam valeat ad conjungendas retinendasque amicitias, quam facilitas, modestia et aequabilitas. Nec effugit invidiae crimen, qua lacerabatur praesertim, cum minus meritis praemia virtutis et doctrinae dabantur. Tum maxime conquerebatur suum fatum et fortunam, haud intelligens hanc plerumque moribus fingi. Pietate fuit singulari in parentes atque in patriam, a qua quod exulare coactus fuerit valde dolebat, ac saepe amicos ad vicem suam dolendam invitabat. Sed quamvis viri excellentis ancipites variique casus habere soleant admirationem, molestiam, spem, timorem, ipse tamen perpaucos invenit miseriarum suarum deprecatores, quod omnes fere verebantur ne eum miserum

eſse nefas esset dicere, qui erat natura asperrimus, et ad vitia non modo carpenda, sed etiam ad maledicta ſerociter et libere jacienda propensus, et qui de industria in odium offensionemque civium suorum et potentiorum incurrisse videbatur. Verum iisdem artibus, quibus fatum suum, famam etiam provocavit; et cum multos doctrina aut pares, aut superiores Jannonio oblivio obruet, is posteritati narratus et traditus superstes erit.

OPERA EDITA.

Iſtoria civile del regno di Napoli di Pietro Giannone Giureconſulto ed Avvocato Napoletano con accreſcimento di note, riflessioni, medaglie, e con moltiſſime correzioni date e fatte dall' Autore, e che non ſi trovano nè nella prima, nè nella ſeconda edizione. Palmyra 1762. T. IV, in 4.° *Quod hanc Palmyrenſem ſeu Neapolitanam editionem ceteris praeferendam putamus, idcirco ei locum dedimus in hoc catalogo operum Jannonii. Iisdem typis impreſſum eſt volumen V., quod inſcribitur:*

Opere poſtume di Pietro Giannone in difeſa della ſua Storia civile del regno di Napoli con la di lui profeſſione di fede al P. Giuſeppe Sanfelice Geſuita. *Tandem Venetiis apud Joan. Baptiſtam Paſqualium an.* MDCCLXVIII. *editus eſt liber cum hoc titulo:*

Delle opere poſtume di Pietro Giannone Giureconſulto ed Avvocato Napoletano T. II. contenente alcune ſue opere finora inedite precedute dalla vita del medeſimo Autore. *Hanc vitam, ut ſupra commemoravimus, expoſuit*

Leonardus Panzinius Presbyter Neapolitanus. Opera vero poſthuma, quae in hoc volumen relata fuere, haec ſunt.

Indice generale dell' opera de' tre regni, terreno, celeſte e papale.

Abjura fatta avanti il Vicario Generale del S. Offizio di Turino Delegato del Tribunale dell' Inquiſizione di Roma, eſtratta dagli atti del medeſimo Tribunale.

Ragioni, per le quali ſi dimoſtra l' uffizio di Corriere maggiore del regno di Napoli non dover eſſere compreſo nella reciproca reſtituzione de' beni da ſtabilirsi negli articoli della futura pace.

Osservazioni ſopra la ſcrittura intitolata: Difeſa della Reale Giurisdizione intorno a' regj diritti di S. Maria della Cattolica della città di Reggio.

Oſſervazioni dell' Ab. Biagio Garoffalo ſopra le riſleſſioni morali e teologiche eſpoſte in più lettere da Euſebio Filopatro.

Breve relazione de' Conſig'j e Dicaſterj della città di Vienna.

Ragioni del Marcheſe D. Maffeo Barberini ſopra la ſucceſſione della caſa Barberini derivanti dalle diſposizioni del Pontefice Urbano VIII.

Ragioni, per le quali si dimoſtra, che l' Arciveſcovado Beneventano, non oſtante che il dominio temporale della città di Benevento fosse paſsato a' Romani Pontefici, sia compreſo nella grazia conceduta da S. M. C. a' nazionali, e ſottopoſto al Regio *Exequatur*, come tutti gli altri Arciveſcovadi del Regno.

Explicatio numi ſub Ludovico XII. Franchorum Rege cuſi inſcriptique: PERDAM BABYLONIS NOMEN.

His Jannonii operibus addi debent alia ſcripta, praeſertim forenſia, de quibus ſingillatim Panzinius in vita ejuſdem mentionem fecit.

ANGELUS FABRONIUS

CAJETANO MIGLIORIO

HUMANIORUM LITTERARUM IN FERRARIENSI GYMNASIO DOCTORI EJUSDEMQUE GYMNASII PRAEFECTO

S. P. D.

Cum multorum inter ſe ſtudia comparo, etiamſi non uni magis faveam quam alteri, dummodo utilitati hominum conſulant, perſapientes tamen mihi ii esse videntur, qui ingenii acumine doctrinaque praediti toti ſunt in conquirendis illuſtrandiſque antiquitatis monumentis. Nam praeter quam quod haec ſtudia mirum in modum hiſtoriam adjuvant, tantum in ſe habent nobilitatis atque jucunditatis, ut quas edax tempus nobis conſervavit reliquias, veluti ornamenta nationum atque monumenta majorum ſapientiae ac potentiae maxime revereri ſoleamus. Illa trophaea, quae bellicae laudis inſignia & victoriarum monumenta ſunt, illae deſcriptiones pugnarum converſioniſque imperiorum quamvis curioſe conquirantur, quia

tamen in illis apparent veſtigia aut feritatis, aut ambitionis hominum, magis commovent quam delectant contemplantium animos. Ipſa cognitio rerum, quae erant in inſtitutis & moribus antiquorum, raro adjutrix esse poteſt bonorum conſiliorum ſive in adminiſtratione rei publicae, ſive in regenda vita; at quae effecta ſunt manu et artificio adeo conducunt ad vitae ipſius commoda, ad excitanda ingenia, ad provehendas nobiliſſimas et utiliſſimas artes, ad ornandas urbes, ad alendam hanc ſuavitatem humanitatis, qua prope ſola delectari homines videntur, et ad obliteranda, quae nos comitantur, mala, ut iraſci ſoleamus iis, qui illa aut negligere aut non plurimi facere videntur. Sed gratulandum ſaeculo eſt, quod non in Italia modo, ſed etiam ultra montes et maria haec ſtudia maxime colantur, maximoque in pretio habeantur, ipsis nationibus exemplo praeeuntibus, quae olim nefarium bellum antiquitatis reliquiis intulerunt. Illa quoque noſtrorum temporum laus est, quod in hujusmodi ſtudiis exercendis non, ut olim, sola eruditione contenti sumus, sed cum illa conjunctam volumus philosophiam, et sensum quemdam, ut de omnibus si non veram, ſaltem probabilem rationem reddere, et quae ad artem

ſpectant guſtare, deque iis judicium ferre et praecepta dare poſſimus. Omnia quibusdam vinculis apud veteres erant colligata, et quaſi cognatione quadam inter ſe continebantur; et pictura, architectura, et praeſertim ſculptura ex multis animi perceptionibus conſtabant, cum arcte copularentur cum religione, cum moribus, & cum legibus. Quapropter pleniſſimum temeritatis eſſe dicam velle de huc et illuc ſparsis monumentis diſſemere niſi ars teneatur quae disjuncta ſunt conjungendi, revocandique eo unde manarunt, quod quia multum habet difficultatis et laboris, multorum ſcriptorum diſertam negligentiam reddidit. Praeterea illa quae de Aegyptiis, Graecis Latinisque monumentis a multis expoſita sunt, ut de Etruſcis loquar, arrepta occaſione a Juſti Fontaninii vita, quam ad te mitto, amicorum suaviſſime, hominis quidem multarum litterarum, qui plura Etruſcorum de Hortano civitate Etruſca ſcribens, patefacere et illuſtrare ſe poſſe putavit. Quanto ſucceſſu, viderint eruditi. Porro si tu facile inveneris, qui tot in tenebris, in quibus jacent omnia pene veterum Etruſcorum, lumen litterarum accenderit, accuſabis haeſitationem meam. Verum, ſi me amas, nonne tibi videtur nihil huc us-

que conſtitutum fuiſſe quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem? Ea propter auctor fui viro amiciſſimo Aloysio Lantio, ut pro eo quo pollet ingenii acumine, induſtria atque eruditione, opus hujusmodi ſuſciperet, in quo totam Etruſcorum antiquitatem, quantum ex monumentis conjicere licet, intueri poſſemus. Suſceptum ab eo negotium feliciter transactum fuiſſe vehementer gaudeo; et in hac animi mei laetitia non gravabor tibi, qui cum ſis litteratiſſimus, maxime faves litteris, eorumque cultoribus, univerſi operis brevi in lucem prodituri formam adumbrare. Prima pars illius ad ea, quae deinde Auctor perſequitur, munit viam: cum enim vetustiſſimas Italorum linguas Graecae Latinaeque veteris ſubſidio illuſtrari poſſe affirmet, ejus ſententiae ex hiſtoria primum petit probationes, tum ex monumentis ultimae antiquitatis parat adjumenta; neque modo lapides, et ceteras ejusmodi priſcorum temporum reliquias profert atque explicat, ſed praecepta quaedam et quaſi artem adjungit, qua eaedem illae earumque ſimiles legi debeant; neque enim, ut probe noſti, aut Latium aut Graecia ita initio ſcripſit, ut in vulgatis aut hiſtoricis, aut oratoribus, aut poetis ſcriptum libris eorum editis videmus; ſed alia quaedam

fuit & characterum figura et orthographiae ratio: ſequens vero aetas litteris multis vel additis, vel ademptis, vel permutatis hanc ſcribendi formam, quae nunc est omnino, aliam a vetuſtiſſima, et minimum cum illa conſentientem induxit. Altera pars est, quae rem propius attingit: in ea Etruſcae linguae ac reliquarum quaedam quaſi grammatica ars comprehensa, et prope edita eſt: alphabetum, quo uſi ante hos dies fuimus, tum excuſſum, tum litteris aliquot emendatum atque auctum; formae litterarum ſingulae cum Graecorum monumentis collatae, vis aſſignata quae cuique congruat, deinde orthographia explicata; quas litteras in Etruſcorum monumentis legendis aut demere aut adjicere aut permutare debeamus: denique etymologiae atque analogiae praeſertim ratio habita; atque in ea tractatione univerſa vix pauca conjecturae data, pleraque ex parte prima atque ex veterum aut Graecorum aut Latinorum conſuetudine accerſita. Tertia denique pars eſt, quae ipſa monumenta veterum Italicorum, Tuſcorum imprimis atque Umbrorum, per quos Tabulae illae Eugubinae conſcriptae ſunt, proponit atque explicat, in qua grammaticis jam expenſis, hiſtorica praeſertim conſectatur, neque pauca sunt, quae vel ad civilem

cultum antiquorum, vel ad religionem, vel ad Italiae hiſtoriam pertinentia, nova quadam luce illuſtrentur: quibus de rebus quam acriter ſuperiori aetate ac noſtra vel ab Italis vel ab exteris diſceptatum ſit, profecto noſti: ibi enim diſceptatur vehementius, ubi obſcurior cauſſa eſt, et ſuſpenſae magis judicum mentes. Satis de his. Reliquum eſt, ut te orem, ut quoniam artes noſtrae neſcio quo modo nunc uberiores fructus ferre videntur quam olim ferebant, ſive quia nunc nulla in re alia magis acquieſcimus, ſive quia munus, quod ſuſtinemus in Academia Piſana, id exigere arbitramur, me meaque pro veteri amicitia noſtra adverſus invidos et obtrectatores tuearis atque defendas. Vale.

Florentiae id. Sextilis an. MDCCLXXXVI.

Digitized by Google

JUSTUS FONTANINIUS

Poſtquam Jannonii vitam explicavimus, de Juſto Fontaninio ſcribendum ſuſcepimus, quorum alter ut odio, ſic alter ſtudio in Romanos Pontifices inclaruit: adeo paucis poſteritatis cura inter infenſos vel obnoxios. Is natus eſt honeſta familia III. Kal. Novemb. anni MDCLXVI. in perilluſtri Provinciae Forojulienſis oppido, cui S. Danielis nomen. Parentes habuit Franciſcum Fontaninium et Ludovicam Manzoniam, qui cum puero vivendi praecepta darent, non minus ſtuduerunt, ut ille doctrina liberaliter inſtitueretur. Vix hic excesserat ex ephebis, cum venit in Goritianum Collegium, quod tum Jesuitae regebant. Quia illum omnis ars & doctrina liberalis, & maxime philoſophia delectabat, iis, quibus utebatur, magiſtris contentus haud esse poterat. Tanquam ad adſpiciendam lucem se revocatum fuisse affirmabat, cum

Redii scripta forte in manus suas pervenissent, quae quod commendentur copiose & eleganter loquente sapientia, hanc ſibi comparandi cupiditate incredibili exarſit. Invitabant etiam eum ad se se dignitate & utilitate sua sacrarum litterarum studia, praesertim cum deliberasset sacrae militiae nomen dare. Quod cum praeſtitisset an. MDCLXXXX. ad excolendum magis magisque doctrina animum, Venetias primum, mox Patavium venit, quae urbes abundarunt semper optimis disciplinis atque hominibus omni doctrina & virtute ornatissimis. Tum specimen ingenii atque eruditionis dedit, cum Dissertationem emiſiſſet *de maſnadis aliiſque ſervis juxta Longobardorum uſum*, qua quaſi gradum quemdam atque aditum ad famam, cui servire deliberaverat, se jecisse putavit. Quod minime ambitiose ab illo judicatum fuisse exiſtimabis, cum Apoſtolus Zenus, de illa dissertatione edenda auctor eidem fuerit. Inter eos, quibuscum familiarissime atque amicissime vixit Fontaninius, fuit Philippus a Turre, cujus opera factum eſt, ut ipse Josephi Renati Imperialis Cardinalis bibliothecae

praeficeretur. Ea propter Romam venit aeſtate an. MDCLXXXXVII. et quidem cum spe maxima majora obtinendi ab Innocentio XII., qui quamvis illitteratus esset, mirum tamen in modum doctorum hominum honori et dignitati favebat. Cum videret Juſtus haud mediocrem de se homines habere opinionem, hanc ut conſtantem efficeret plurimum laboravit. Multum vigilabat in ſtudiis, frequentabat litteratorum hominum domus, horum coetus, qui erant apud Severolium & Ciampinium Praesules amplissimos, posse interdum dicendo tenere sibi glorioſum arbitrabatur, veniebat saepe ad Noriſium et Casanatam, qui lumina atque ornamenta Romani Senatus eſſe putabantur, & erant; omnino nihil praetermittebat, quod ad laudem omnium undique, et benevolentiam et gratiam potentiorum colligendam conducere poſſe videbatur. Hortante etiam Laurentio Zaccagnio viro Graecis Latinisque litteris eruditissimo, quocum saepissime erat, Graecam linguam didicit, et Raphaele Fabretto magistro in inquirendis interpretandisque antiquis inscriptionibus plurimum versatus est. Sed in tanta ſtudiorum

verietate illa semper potiora duxit, quae ad Eccleſiaſticam hiſtoriam spectabant, in qua quantum profeciſſet saepe declaravit in illa Academia, cui a loco, in quo habebatur, Propagandae Fidei nomen erat. Veniebat ad eam flos virorum et nobilitatis, ejusque fama non solum manaverat per Italiam, sed etiam alpes transcenderat. Personuerat enim vocibus Christiani Lupi, Henrici Norisii, Jo. Mabilonii, Eusebii Reneaudotii, Philippi a Turre, Josephi Mariae Thomasii, ut de ceteris sileam, qui ad eam accuratas et meditatas commentationes de gravioribus rebus ad theologiam, jus Pontificium, et Ecclesiae historiam pertinentibus attulerant. Quae in ea diſſeruit Fontaninius, uno volumine complexus eſt, quod *Collationes* inscripsit. Cum jam in universa Urbe celebratum ejus nomen eſſet, mandavit ei Summus Pontifex Clemens XI. ut ad se referret de dialogo quodam contra Fraticellos, qui Jacobo de Marchia Ordinis Minorum tribuebatur. Certissimis monumentis atque argumentis probavit Fontaninius neque fuisse, neque esse potuisse ejus opusculi auctorem Beatum Jacobum, atque propterea

Digitized by Google

nullam esse caussam conflandi invidiam homini sanctiſſimo, remorandique debitos illi Sanctorum honores. Eodem tempore de Andrea Agnello, qui saeculo aerae Chriſtianae IX. hiſtoriam scripserat Pontificum Ravennatum, quaedam exaravit, ut responderet iis, qui vetandam operis hujusce impressionem censuerant, propterea quia scriptor ille affirmaverat consuevisse Caesares Archiepiscopis pallium concedere. Hujus enim teſtimonium nihil momenti habere probavit, cum graviorum & antiquiorum scriptorum auctoritas atque consensus jus illud tribuat Romanis Pontificibus. Dabat & famae, quod saepe de componendis Latinis inscriptionibus rogaretur vel ad memoriam mortuorum, vel ad prodenda poſteris illuſtria Romanorum Pontificum facta. Homo navus et induſtrius multa uno eodemque tempore versabat animo, in quibus otium suum consumeret, & cum Italica carmina & epiſtolas collegisset Cyri Perſii equitis Hierosolymitani, ejus vitam exposuit; de scriptoribus Forojulienſibus opus magnum suscepit; alia, quae memoriam rerum Forojulienſium illuſtrarent, seposuit, de

edendis Hieronymi Aleandri junioris Cardinalis doctiſſimi operibus, quae ex bibliotheca Barberinia excripſerat, cogitavit; breviter vitam Alexandri Taſſonii declaravit (1) ſtudiumque poeſis nunquam intermiſſum, a primaque adoleſcentia cultum, et ſemper auctum renovavit. Sed magis quam propriorum carminum confector (nam natura, quae in poeſi in primis dominatur, non admodum valebat) alienorum judex eſſe voluit, & cum ceteris poetis omnibus antecellere Torquatum Taſſum exiſtimaret, Amintae defenſionem adverſus Bartholomaeum Cevam Grimaldium arripuit. Itaque an. MDCC. librum vulgavit, quem Cardinali Imperiali ſuo nuncupavit, ut perſuaderet omnibus, ſive elocutio, ſive fabulae artificium ſpectetur, nulla in re ſaltem graviori peccaſſe Torquatum,

(1) Quae de Taſſonio exaravit Fontaninius edidit Apoſtolus Zenus cum libro, cui titulum fecit: *Annotazioni ſopra il Vocabolario degli Accademici della Cruſca; opera poſthuma di Aleſſandro Taſſoni &c. Venezia 1698. in fol.* Satis ſuperque nunc conſtat hoc opus Taſſonio falſo tributum fuiſſe. Vide quae hac de re narravimus in vita Apoſtoli Zeni Vol. IX. pag. 214.

quinimmo tale confecisse poema, de quo nihil satis admirabiliter, satisque magnifice dici possit, quoque uno effecit, ut ceteras nationes omnes in hoc poesis genere, ne Graecis quidem et Latinis exceptis, vinceremus. Haec defensio docta, erudita, elegans est, magnoque plausu Romae excepta fuit. Non caruit tamen reprehensoribus (1), nec uti potuit Fontaninius excusatione justa et idonea, quando coarguit eum typographus Josephus Cominius, quod probatiores Amintae editiones minime consuluisset. Spoponderat Tassi studiosis se secundo editurum defensionem suam multis in locis auctam et emendatam, quod tamen exitu non praestitit. Tanto amore ferebatur in Tassum, ut exarserit quoque ejus ingenium contra eos, qui magno in pretio haud habendam jure meritoque affirmabant illius tragoediam, quam inscripsit *il Re Torrismondo*, et tum de tragoedia et comoedia, et de celebrioribus Tragicis et Comicis praesertim Gal-

(1) Vide *le Osservazioni d'un Accademico Fiorentino* (*Uberto Benvoglienti*) quas Sebaſtianus Coletus edidit Venetiis an. MDCCXXX cum defenſione Fontaniniana.

Gallis libellum scribendum suscepit. Quanquam non defuerint, qui ab eo petierint, ne gravaretur exaedificare opus, quod instituerat, ego tamen censeo eumdem non satis aptum et locupletem fuisse ad illud exornandum amplificandumque artis praeceptis, quae interioribus et reconditis litteris continentur. Erant tamen in eo plurimae, nec eae vulgares, qua re factum est, ut illi a Clemente XI., cui maxime curae erat, ut ad veterem splendorem dignitatemque revocaretur Archigymnasium Romanum, munus docendae in eo eloquentiae deferretur. Oratio, quam in ingressu muneris dixit de usu et praestantia litterarum, vel Petri Baylii laudes obtinuit (1); laudarunt

(1) Exemplar orationis [*ſic ille*] quod muneris loco mihi miſiſti, vir praeſtantissime, tantum grati animi ſenſum mihi inſtillat, ut ei ſignificando vix par eſſe poſſet inſignis tua facundia. Idem dixerim de voluptate, nec non admiratione, quibus perfundebar, dum legerem illam orationem vere redolentem aureum aevum eloquentiae Romanae. Inclareſcet in primis vel eo nomine Pontificatus Clementis XI., cujus ſane virtutes optimarumque artium intelligentia & cura laudem merentur egregiam, obtinentque ab iis quoque, qui alia ſacra colunt, quod Gymna-

et alii doctrina insignes viri quae Fontaninius tradere solebat auditoribus suis, cum interpretandos Ciceronis libros de Oratore, et alia ad Romanorum eloquentiam & Latii linguam ſpectantia explicanda suscepisset. Beatus jam ſibi esse videbatur Fontaninius, quod in florentissima urbe, & in doctissimorum hominum flore versabatur, & quod ſtudia sua adeo probabantur Clementi XI. magno ingeniorum aeſtimatori, ut ab eo auctus sacerdotio, aliisque beneficiis affectus fuerit. Hunc ut ſibi magis magisque conciliaret, in ipſius nomine apparere voluit quae pro Jo. Mabillonio adversus Bartholomaeum Germonium exaravit. Nemo ignorat quam de litteris bene meritus fuerit Mabillonius, & quantam illi praesertim gloriam pepererint, quae ad rem diplomaticam illuſtrandam vulgavit.

ſium Urbis in priſtinum ſplendorem reſtituere allaborans, te inter alios admoverit muneri eloquentiae, interiorumque litterarum excolendarum. Faxit Deus, ut diu hanc ſpartam exornes in emolumentum Reipublicae litterariae ac nominis tui famam dudum florentem latius, latiusque propagandam. Vale.

Uni Jesuitae, quia proclives erant ad omnia Benedictinorum Monachorum facta obtrectanda, invidiose illius scripta carpebant, extititque ex iis unus Germonius, qui cum *de veteribus Regum Francorum diplomatibus & arte ſecernendi antiqua diplomata vera a falſis* opus Pariſiis anno MDCCIII. edidisset, tot incorrupta rerum geſtarum monumenta, quibus usus fuerat Mabillonius, quibusque Benedictinum S. Dionyſii, ceteraque inſigniora tabularia gloriabantur, dubia & incerta esse affirmavit. Tantam arrogantiam haud ferendam putavit Fontaninius, et multis argumentis atque exemplis confirmavit summae dementiae esse quae ad nos pervenerunt ab antiquitate monumenta, quibus veritatis notae insunt, in dubium revocare. Nonne erat injuriam facere summis viris, qui ex ipsa Jesuitarum familia fuerunt, Sirmundo, Chiffletio, Browerio, Gretsero, Serario, & Bollandianis, aliisque bene multis, qui hiſtoriae in tantis tenebris clarissimum lumen praetulerunt, documenta ab iis allata contemnere, quorum quae ſit vis, quae auctoritas, quod pondus tot rationibus comprobarunt, ut ad omnem verita-

Digitized by Google

tem caeci esse videantur, qui iis fidem habere recusent? Itaque Germonius, cum amentia quadam raperetur, non vidit quid ab illuſtrioribus Eccleſiis et Monaſteriis omni tempore geſtum fuerit, ut sua haberent diplomata ac conservarent, quorum nonnulla a Fontaninio non nominantur modo, sed etiam eruditissime explicantur, atque eorum auctoritas vindicatur; non vidit quae publica teſtimonia iis accederent; non novit quae esset barbarorum saeculorum lingua, qui scribendi modi, quae consuetudines, ritus, mores, inſtituta et leges, & dum abutitur ad omnia immoderate & ingrate judicandi libertate atque licentia, imitari voluisse videtur exemplum collegae sui Joannis Harduinii, quem non puduit affirmare celebriores scriptores Graecos & Latinos non exscriptos, ſed confictos fuisse a Monachis Benedictinis XI. saeculi, quo sane nihil auribus animisque hominum absurdius. Propter ubertatem eruditionis, & abundantiam rerum omnium, quae ad diplomaticam, ut loquimur, artem, et hiſtoriam et chronologiam medii aevi pertinent, magno in pretio Fontaninii opus ha-

Digitized by Google

bendum eſt, quod a doctiſſimis Gallorum, ac praeſertim a Mabillonio ita exceptum fuit, ut maxima ei ſtatim facta fuerit gratulatio (1), & ſummis laudibus ejuſdem nomen

(1) *En Mabillonii ipſius gratulatoriam epiſtolam*: Pervenit tandem in manus meas e Regia bibliotheca aureus liber tuus, vir clariſſime, quo veterum diplomatum veritatem, ſimulque meam fidem ab iniqua Germonii cenſura vindicare aggreſſus es. Ubi primum illum mutuo accepi a Regio Bibliothecario, continuo eum aperui, moxque ad legendum me rapuit primo quidem typorum nitor, quo nihil elegantius, tum argumenti genus, quod mea maxime intererat: argumento probe reſpondet titulus, quo concinnius nihil, Juſti nomen praeferens ad jus ſuum cuique reddendum. Verum eo felicius nihil, quod Sanctiſſimus Pontifex Clemens XI. communis omnium parens & judex, cauſſae ſuae pariter ac noſtrae patrocinium ſuum impendi haud dedignatus eſt, paſſus auſpicatiſſimum ſuum nomen libro tuo praefigi; qua de re maximam tecum gratiam Sanctitati ſuae habemus. Lecta magnifica tua ad eum epiſtola, mox librum tuum avide lego, ac perlego, in quo ſcribendi modus Profeſſoris eloquentiae nomine dignus elucet. Jam vero quam exquiſita rerum in toto operis decurſu varietas, quanta rationum vis, quanta argumentorum moles! Ea ſane, ut iis adverſarius non tam ſuperari, quam obrui videatur. Quamquam vereor ut ſe victum fateatur Germunius, vixque mihi perſuadeam, qui ſe in re diplomatica magiſtrum putabat, vix diſcipulum ſe reputari faci-

celebratum. Sed haec ipsa valuerunt ad excitandum ſi non odium, attamen aut invidiae, aut odii non diſſimilem offenſionem Jesuitarum omnium in Fontaninium, cui rei argumento esse poſſunt quae Scriptores ephemeridum Trevoltienſium et Jacobus Bernardus litteris mandarunt. Nec siluit Germonius ipse,

le ſuſtineat. Verum hac de re judicabunt aequi rerum aeſtimatores, quos mihi applauſuros esse non dubito. Hoc ſaltem Germonio nos debere cenſebimus, quod tam praeclari operi occaſionem dederit. Ad me quod attinet, etsi non dubitem, vir clariſſime, te in componendo edendoque eximio iſto libro non tam mei, quam publicae rei, ut par eſt, rationem habuisse, tamen quia mea cauſſa cum publica conjuncta eſt, teque meis ſtudiis alias favere compertum habeo, verbis exprimere, nedum re ipſa, non valeo, quantum tibi obſtrictus ſim, quod iſtam elucubrationem elaboraveris ac publici juris feceris; ex qua certe intelligent litterati omnes quae & quanta ex tua eruditione ſperare & expectare poſſint, qui tam praeclarum ejus ſpecimen praeter alia dederis. Quam expectationem, ut ſactis compleas, integram & diuturnam valetudinem a ſupremo rerum Auctore tibi concedi ex animo exopto. Plura tibi nomine meo dicturus eſt noſter in urbe Generalis. Vale; & me tibi addictiſſimum, ut coepiſti, amare perge.

qui, vulgato libello, asperioribus verbis Fontaninium, & qui fuerant ejus operis defenſores, Antonium Gattium, & Dominicum Lazzarinium perstrinxit. Verum cum in Fontaninio ineſſet animi excelſi atque invicti magnitudo ac robur, contempſit Jesuitarum voculas, quanquam eosdem semel laesos suarum laudum obtrectatores et adversarios perpetuo fore intelligebat. *Stet per me veritas*, dicere solitus erat, *quo quo modo de me mereantur homines*. Haec fidentia obtinuit ab eo defenſionem Tillemontii, cujus immortale opus de hiſtoria Eccleſiaſtica Romae a nonnullis adeo vituperabatur, ut de illo ab hominum manibus, ſi fieri potuisset, eripiendo, agitaretur, auctore praesertim Jacobo Laderchio. Quam id indecorum, turpe, injuſtum futurum esset, argumentis et rationibus plurimis Fontaninius oſtendit, ut ille, de cujus caussa agebatur, non potuiſſet accuratius eamdem defendere. Iſthaec libertas perplacuit Summo Pontifici, qui nihil contra Tillemontium decernendum censuit, quod eo mirabilius debet videri, quia ille nihil tam oderat, quam Janseniſtarum, quorum in

numero esse putabatur Tillemontius, nomen. Laudis avidus Fontaninius eam gloriam ingentem esse putabat patrocinium suscipere clarorum virorum, de magna virtute atque doctrina eorum saepe commemorare, certiores illos facere, ſiquid esset quod scire aut sua, aut ipsorum interesset, quas ab iis accipiebat ponderosas epiſtolas cum amicis communicare, & quod nihil eſt utilius quam conjunctio inter doctos doctorum & communicatio opinionum, invitare omnes ad ineundam ſtudiorum societatem. Coluit praesertim Gallos, iis indulſit, eorum voluntati & gratiae deditus fuit, et cum his temporibus Pariſiis eſſet, ejus amicus Dominicus Passioneus, nihil tam illi se invidere ajebat, quam quod praesens videret tot homines doctrina praestantes, eorumque congressu colloquioque frueretur. Sed ea res haud scio an plus illi profuerit, vel nocuerit. Nam laudum illius invidi, ac praesertim Jesuitae, sermonibus divulgarunt, mire illum esse ſtudiosum et fautorem Janseniſtarum, quos tristissimo verbo nominabant haereticos, et Romanae Eccleſiae Romanorumque Pontificum hoſtes. Fa-

cile fuit Fontaninio homines contemnere, qui religionis calumniam non religione, sed malevolentia comprobabant, et cum haberet multa virtutum praeſidia, quae illorum criminationibus opponeret, tranquillo animo in iis studiis exercitationibusque, quas glorioſiſſime susceperat, perseveravit. Edidit an. MDCCVI. librum Italice scriptum *de Italica Eloquentia*, quem ad Josephum Ursium instituit. Huic quod multa deeſſe postea intellexit, de eodem augendo atque iterum edendo cogitavit, quod praeſtitit an. MDCCXXXVI. Nihilo tamen minus non fugit reprehenſionem eorum, qui omnibus eruditionis ornamentis abundabant; et quae emendavit notavitque Apoſtolus Zenus, quanquam nimium obsecutus fuisse videatur desiderio de Fontaninii gloria detrahendi, hujusmodi sunt, ut hunc errasse arbitremur, cum de iis, qui de eloquentia Italica optime meriti sunt, satis copiose atque erudite se dixisse judicavit. Mirabitur vero quispiam Zenum, cui erat mitissimum ingenium, acerbum fuisse in reprehendendo Fontaninio, qui vel a prima adolescentia in illius amicitiam se contulerat. Sed acuit illum ad severitatem genus

reprehendendi morosum, quod saepe adhibuit Fontaninius, cujus ingenium Aegyptio aceto assimilare solebat, & negligentia, qua multa vel ante pedes poſita transiliit, atque a se inventa attigit. Rationes etiam quasdam attulit Zenus, quare se disjunxerit ab familiaritate hominis, cujus exiſtimationis buccinator antea fuerat. Nam Fontaninius facilis ad exardescendum, & ad dissuendas non solum, sed etiam ad repente praecidendas amicitias, cum a se abalienasset Muratorium & Maffejum, irasci videbatur Zeno, quod cum iis litterarum commercia haberet. At Zenus solitus metiri amicos non aliorum dissidio ac diſſenſione, sed voluntate ac judicio suo, riſit Fontaninii querelas, permanſitque in sua priſtina erga illos benevolentia. Tum quaeſivit, servaverit ne in illo fidem, quod cum a se multa accepisset ad augendum corrigendumque librum de Italica Eloquentia, non modo nullam accepti beneficii mentionem fecit, sed ne caritati quidem suae pepercit, ne quid temere in se proferret. Haec adeo commoverunt Zenum, ut asperius, quam ejus paterentur mores, erga Fontaninium se se ges-

serit; quanquam ei in mentem saepe venerit praeceptum illud, quod vetat cineri & ossibus mortui dolorem inurere. Nam Fontaninius e vita excesserat, quando ille opus suum confecit, quod inscripſit: *Annotazioni alla Biblioteca dell' Eloquenza Italiana*. Porro ſi tam sapiens fuisset Fontaninius, quam fuit vehemens, melius quidem famae ac fortunae suae consuluisset. Nam magna Romae opinio erat de illius doctrina, & qui otioſis & nihil agentibus honores saepissime deferuntur, debiti videbantur homini, qui totam aetatem in ſtudiis litterarum contriverat. Horum laborum fructus uberes atque immortales cepit Hortanum civitas, de cujus antiquitatibus ita disseruit Fontaninius, ut scriptorum veterum se litterate peritum oſtenderit. Quaerit primo de urbis ortu, quem a Pelasgis repetit, et quia haec illo tempore, quo Trojani in Italiam migrarunt, opibus florens fuit, et quia nomen Vadimonis, quod eſt lacui in agro Hortano, aliquid Etruscum sonare videtur, probabili conjectura colligere se posse ait fuisse Hortam unam ex duodecim urbibus Etruriae, seu Dynaſtiis, quae

totidem Lucumones, seu Reges habuere. Sed ad hanc concludendam sententiam necesse erat Vejentes quodammodo ab Etruria expellere, idque praeſtitit Fontaninius, cum eos, Livio teſte, proprium regnum habuisse, atque non inter, sed proxime Etruscos fuisse oſtendisset. Hoc ipse ordine enumerat Etruscorum Dynaſtias. I. Peruſia. II. Cortona. III. Aretium. IV. Cluſium. V. Volaterrae. VI. Vetulonia. VII. Volſinium. VIII. Rusellae. IX. Tarquinium. X. Caere. XI. Horta. XII. Faleria. Qui fuerit ſtatus Hortae, postquam Auguſtus Caesar eo militarem coloniam deduxit, quae tribus, quos magiſtratus habuerit diligenter inquirit, facem illi praeferentibus antiquis inſcriptionibus, quas erudite explicat, et interdum acute supplet. Inter has eminet illa, quam foederatus Faliscorum populus Hortae posuit, cujus rei caussam dum explicat, de Tusciae & Piceni Pentapoli & de Faliscis copiose disputat. Hoc loco Goltium non modo et Harduinium, quod Faliscos Argivorum in Etruria colonos cum Faleriis Magnae Graeciae populo commiscuerunt, sed etiam Stephanum, Plinium & So-

linum reprehendit, quod Falerios et Faliscum duo diversa fuisse oppida affirmarunt, cum, Livio teste, exploratissimum ſit Romanos oppidum ipsum, quod ſitum erat juxta viam Flaminiam Otriculos inter et Romam, Falerios, agrum vero et populum Faliscos nunquam non vocitasse. Explodit etiam Salmaſii sententiam affirmantis Aequos Faliscos ab Etruscorum Faliscis differre, et nomen Aequorum non ab aequa planitie, sed ab Halesio aequi servantissimo manasse contendit. Quod in inscriptione, de qua loquimur, quatuor priores lineae obliteratae ſint, ex eo conjicit ad Domitianum Caesarem illam spectasse, de cujus morte adeo Senatum Romanum laetatum fuisse scimus, ut ex omni aere vel saxo eradi nomen et titulos, ad abolendam, ſi fieri potuisset, crudelissimi Tyranni memoriam decreverit. Hinc Fontaninius occaſionem captat disserendi de aliis monumentis, ac praesertim de inscriptione, quae eſt in arcu Septimii Severi, in quibus elogiorum et nominum litterae deletae conspiciuntur; et ſi cui haec digreſſio a propoſito argumento nimis longa videbitur, aliquid

Digitized by Google

ignoscat volo consuetudini antiquariorum, qui dum intendunt oculos in omnes partes, vereri videntur, ne omnia dilabantur, ſi unum aliquod effugerit. Reliquarum Hortanarum inscriptionum non modo sententias, sed et verba diligentissime explicat et enucleat, & dum multa obscura patefacit atque illuſtrat, quae ad Etruscorum numina, mores et linguam (hanc ex Graeca magna ex parte fluxisse judicat) et ad Romanorum facta illuſtria pertinent, ſe doctrina atque optimarum artium ſtudiis eruditissimum oſtendit. Haec quidem in priori operis parte. Altera vero pars tota ferme conſtat dissertatione de Falconia Proba cive Hortana, sane digna, quae ob Centonem Virgilianis verſibus de Chriſto compositum inter Poetrias Latinas numeretur. Hanc cum Faltonia Proba ex clara Aniciorum gente, consulis filia, consulis uxore, ac trium consulum matre, quaeque SS. Hieronymi atque Auguſtini necessitudine et laudibus inclaruit, contra ac putaverant viri in primis docti Vossius, Barthius, Reineſius, Baronius, ac Dupinius, nihil commune habere probat. Turpius etiam illos errasse ait, qui

hoc carmen Sedulio tribuerunt, quod Probae adjudicandum esse arguit etiam Gelasii I. Decretum, quod an. CCCCLXXXXVI. in Concilio Romano fecit, quodque ex antiquissimo codice Bibliothecae Vaticanae exscriptum noſter hic veterum monumentorum corrector sapientissimus non mendose, ut alii non pauci, in lucem protulit. Divinare se jam posse putabat quemadmodum Scriptores ephemeridum Trevoltienſium jactaturi essent opus, quod non Itali modo, ſed et Germani magnifice laudaverant (1). Sed quae illi inscite atque inimice objectarunt ita diluit Fontaninius, ut adversariorum accusationes laudes illius magis magisque illuſtraverint. Bis Romae editum fuisse opus creditur (2) semel au-

(1) Vid. Giornale de' Letterati d' Italia Tom. XXI. Venezia 1715. & acta Erudit. an 1709. Lipſiae &c.

(2) Apoſtolus Zenus diligens inveſtigator earum rerum, quas gessit Fontaninius, falſo affirmari ait bis Romae editum fuisse illius opus. Mutata enim libri fronte & addita III. parte operis ipſius, ſeu Auctor, ſive Typographus fucum, ut dicitur, fecerunt. Vid. ejuſdem *Annotazioni alla Biblioteca dell' eloquenza Italiana* Tom. I. pag. 329.

tem Lugduni Batavorum. Tanti enim illud fecit Burmannus, ut ad *Theſaurum* illum ſuum *Hiſtoriarum Italiae* exornandum maxime opportunum judicaverit. Si ſe occupationibus relaxaſſet Fontaninius (nam ut plane exſolveretur non poſtulabat) quibus diſtinebatur, propterea quod omnibus curis Sedis Apoſtolicae jura ſibi tuenda putabat, alia hujusmodi ad antiquitatem pertinentia profecto vulgaſſet: haec enim ſtudia otioſum hominem deſiderant; sed illa potiora et utiliora judicavit, quibus adverſus potentiorum machinas se arripuiſſe patrocinium aequitatis dicebat. Prima illi contentio fuit cum Caesarianis, qui Duce Bonevallio perdito homine, & inſtigante Rainaldo Ateſtino an. MDCCVIII. Comaclum occuparunt, quod ad Caesarem *feudi* jure pertinere ajebant. Non eſt credibile quantum id doluerit Clemens XI. qui ad molliendum Josephi I. Caesaris animum multis de caussis ſibi infenſum litteras ad eum dedit plenas juſtiſſimi doloris & querelarum. Sed necesse erat scripto probare nullum eſſe jus neque Caesari, neque Ateſtinis in Comaclum, hujusque lacunosam vallem, id-

que

que Pontifex Fontaninio mandavit. Vulgavit hic eodem anno libellum, quem inſcripſit: *Il Dominio temporale della S. Sede Apoſtolica ſopra la città di Comacchio per lo ſpazio continuato di dieci ſecoli eſpoſto ad un Principe*, quo in libello collegit graviſſima monumenta, ex quibus confici vult diuturna adeo poſſeſſione Pontificem deturbare iniquum eſſe, & Catholico Principe indignum. Tanti haec non eſſe putavit Ludovicus Muratorius, quin rationibus aliiſque monumentis infirmari & dilui poſſent; et quae juſſu Mutinenſium Ducis, cui omnia ſtudia ſua conſecraverat, typis mandavit, ob celebritatem Auctoris & eruditionis copiam magnos profecto motus excitarunt. Ex iis, quae hic ſcripſit, moderatum hominem & prudentem cognoſces; ex illis, quae reſpondit Fontaninius, ſatis apparet fuiſſe illum natura vehementem & ferocem, neque ſuae, neque adverſarii dignitati, dum pro ſententia ſua pugnat, peperciſſe. Iſthaec intemperantia (nihil enim juri tam eſt inimicum, quam vis) vel iis diſplicuit, qui favebant Pontifici, & dolere ipſe poſtea

debuit, quod poenas culpae gravissimas suſceperit. Vere enim dictum:

Paucis temeritas eſt bono, multis malo.

Controverſia inter Muratorii et Fontaninii sententias in illo erat, utrum Romani Pontifices ante Pipini & Caroli Magni donationes Exarchatum Ravennae possederint, & utrum eae donationes validae, confirmataeque fuerint a Ludovico Pio, aliisque Imperatoribus tum Gallis tum Germanis; num hi dominatum et principatum liberum dederint Romanis Pontificibus, aut iis conditionibus, quae sunt omnibus *Feudis* communes; a quibus Ateſtini Principes Comacli, ut loquimur, inveſtituram acceperint, et cui poteſtas esset hanc concedendi. Hinc de tota illa controversia de Ferrarienſi Ducatu disputatur, & num juſta fuerit caussa Clementi VIII. illum recuperandi. Multa, quae ad hiſtoriam, chronologiam, & criticam pertinent, hinc illinc afferuntur, & nonnulla, quae obscura caligine tecta videbantur, clarescunt. Noſtrum non eſt quidquam de tantis rebus decerne-

re ; illud addemus unum Carolum vi. Caesarem reddidisse Benedicto xiii. Comacli possessionem; nec sane veriſimile videtur fuisse caussam reſtituendi, ſi juſta fuisset occupandi. Pro his laboribus praemia haud mediocria Summus Pontifex persolvit Fontaninio. Sibi enim a cubiculo illum esse voluit, auxit etiam ditibus sacerdotiis, et fortasse aluit in ipso speculam fore, ut aliquando amplissimis honoribus decoraretur. Id erat non modo ſtimulos admovere, sed pene ignes adhibere, quo pergeret tenere gloriae et induſtriae viam, quam inſtituerat. Majores res scribere ingressum e cursu ipso revocavit voluntas Cardinalis Imperialis, qui ab eo confici et vulgari optavit plures annos ante inchoatum suae bibliothecae catalogum. Praeſtitit id Fontaninius an. mdccxi., qui glorians affirmavit magnas se exsorbuisse difficultates, et labores prope incredibiles suſtinuisse, ut exscriberet librorum titulos, et antiquas et novas editiones adnotaret, ut inveniret, et suis auctoribus reſtitueret ea, quae inter aliena scripta et collectiones latebant, ut quae es-

sent ſingularum artium et disciplinarum veluti inſtrumenta ordine recenseret, ut tale denique opus conficeret, quod et doctrinarum et librorum editorum ſtudioſis utilissimum foret. Conſtat universum *catalogo Auctorum in alphabeti ordinem adducto*, *hujuſque appendice*, *catalogo ſcientiarum*, & *demum indice classium et capitum*. Ingrate ille se gereret, qui scrutari vellet qui errores in tanta re objecti fuerint Fontaninio: ex his enim libris ii maxime laudantur, qui minimis contaminantur vitiis. Non adeo delectabatur typis impressis libris Fontaninius, quin saepe etiam annosos codices conquireret; et quantum his de rebus ejus tribueretur judicio, satis declaravit vir summus Bernardus Montfauconius, cum in suum Diarium Italicum retulisset ejusdem Dissertationem *de translatione codicis Evangelii Sancti Marci ex Foro Julio Venetias*. Codex hic Latinis non Graecis, ut Cornelius a Lapide censuit, exaratus litteris antiquitate superare omnes videtur. Mutilus eſt, propterea quia Carolus IV. Caesar a. MCCCLV. quo tempore Aquilejam venit visendi cauſſa Nicolaum Patriarcham fratrem suum, quasdam

illius paginas secum Pragam, ubi adhuc servantur, adsportavit. Ab Aquileja Forum Julium, inde Venetias translatus eſt, quod Fontaninius minime factum fuisse putat ante annum MCCCCXX., quo Venetorum Respublica universam Forojuliensem Provinciam occupavit. Sciebat, cui scriberet, ac propterea dicta sua certissimis monumentis confirmavit. Ipse vero mirum in modum laetabatur, quod a Maurinis Monachis, quorum plurimi iis temporibus erant doctrina illuſtres, nulla non laude celebraretur, ac saepe consuleretur de rebus ad antiquitatem pertinentibus, ad quas opus erat ingenio acuto et eruditione praeſtanti. Jam id videbatur profiteri, ut de omni hujusmodi re, de qua disputabatur, copiose dicere posset, quare libenter arripuit facultatem de corona ferrea Regum Longobardorum disserendi, quae Modoetiae in principe Eccleſia servabatur; eique divini honores tribuebantur ea de caussa, quod Chriſti Domini clavum circum eam esse incolae illius regionis a majoribus acceperant. Antiquitatem et sanctitatem hujusce coronae adversus Mediolanen-

ſes quosdam, qui utrumque negabant, ſcripto probandam ſuscepit, et satisfecisse illum officio suo judicatum fuit non modo a viris doctis, sed etiam ab iis, quorum munus eſt Romae videre, ut in caeremoniis omnia rite fiant. Quanquam haeretici superſtitiose atque aniliter id a nobis fieri affirment, quod veneremur XXV. usque Chriſti Domini clavos, plauſiſſe tamen videntur Fontaninii diſſertationi, quae secundo edita Lipſiae fuit cum Commentario Ludovici Muratorii *de Corona ferrea*, quem retulerat in secundum *Anecdotorum* volumen. Duritas, severitas (quin dicam iniquitas?) Fontaninii, cum de Muratorii scriptis judicium ferebat ex iis apparet, quae ipse notavit. Sic enim ait: *Bene eſt quod* (Muratorius) *adoleſcens in coronam ferream ſe ſcripsisse dicat. Sed melius dixiſſet cum Hieronymo: peccavimus pueri, emendemur & ſenes. Cenſor non fecit hoc, quare adoleſcentiae excuſatio in accuſationem ei vertitur* (1).

(1) Quid Muratorius judicaverit de Fontaninii ſententia indicant quae ipſe praefatus eſt ad Tom. XIV. Rerum Italicarum Scriptor.

Digitized by Google

Quod incredibili ille amore flagrabat illuſtrandi religioſa, quae ad nos ab antiquitate pervenerunt, monumenta, undique conquirenda ſibi illa esse putavit, quapropter a Pontifice facile veniam obtinuit luſtrandi Italiam, & adeundi homines, qui eruditione atque doctrina excellere putabantur. Collegit laudem omnium undique, & permulta in rem suam seposuit. Sed vix Romam rediit cum juſſus eſt opus aggredi, quo probaret Romanos Pontifices dominationem habuisse in Parmae et Placentiae Ducatum. Caussa fuit de hac re differendi, quod in eo foedere, quod ineunte Sextili an. MDCCXVIII. inierunt Caesar, Galliarum et Britanniae Reges, et Batavorum Respublica, cetera inter ſtatuerant, quoties Farneſiorum familia esse deſineret, Ducatum illum tanquam Caesareum, ut loquebantur, feudum sub Caesaris ipſius imperium ditionemque casurum (1). Disputatio uberrimos

(1) Fontaninius ut cauſſae ſuae ſerviret, multa ſane aliena a vero affirmaſſe videtur. Si vetera monumenta quaerimus, ut quaerenda ſane ſunt in hujuſmodi controverſiis, ex iis patebit nullum fuiſſe jus Romanis Pontificibus in

fontes juris & hiſtoriae continebat, in quibus aperiendis Fontaninius ſe ſtudioſiſſimum Pontificiae majeſtatis oſtendit. Totum opus

Parmae Ducatum. Extat in Regio illius civitatis tabulario Diploma Caroli Magni dat. VII. anno ejus regni Italici, hoc eſt an. 780. vel 781. Aerae Chriſtianae ad Apollinarem Epiſcopum Regii, quo illi concedit *quamdam ſylvam juris noſtri ſitam in Comitatu Parmenſi in finibus Biſmantii, in loco, qui dicitur Lamafrularia*. Nemo ſane ambigere poteſt totam illam regionem ſupremis ſuis tabulis ipſum reliquiſſe Pipino filio, et Cajetanus ipſe Cennius, qui erat ſtudioſiſsiſsimus deſenſor jurium Pontificiorum, in opere quod inſcripſit *monumenta Dominationis Pontificiae* Tom. II. p. 188. cum de Aemilia loqueretur in notis ad Privilegium Henrici Imperatoris, ait: *Sed provincia erat valde anguſta, cujus fines territorium Bononienſe ex parte una, ex altera vero Pentapolis. Quare Ludovicus, Otto, & Henricus Exarchatus & Pentapolis civitates enumerant, Placentia & Parma aliiſque ultra Bononiam ſilentio praetermiſsis*. Non deſunt alia monumenta, ex quibus conficitur Reges Italiae & Caeſares poſt Carolum Magnum imperium exercuiſſe in Parmam & Placentiam. Petrus Maria Campus Canonicus *Iſtor. Eccl. di Piacenza P. I. Append. n. V.* pag. 456. vulgavit Placitum an. 830., ex quo apparet *Lotarium ſedem habuisse infra clauſtra Sancte Parmenſe Eccleſie ad ſingulorum hominum cauſas audiendas*. Apud Muratorium *Antiquit. Ital. med. Aevi Tom. 1. Diſsert. XI. col. 569.* extat Privilegium Lud. II. dat. an. 863. quo

tres in libros diviſit, neque dubitare se ajebat, quin, ſi armis legum controverſia fuisset dirimenda, ille, cujus patrocinium susceperat, superior esset discessurus. Homo paratus ad

donat Supponi quasdam *Cortes juris Regni noſtri sitas in Comitatu Parmenſe in Gaſtaldatu Biſmantino, quarum una vocatur Felina . . . . . & alteram, que nominatur Malliaco.* *Harum Cortium* Dominium confirmavit Berrengarius an. 890. Hunnoco filio ipſius Supponis, ut colligitur ex altero Diplomate apud eumdem Muratorium *Tom. 1. Disser. VI. p. 279.* Verum quis ignorat Carlomannum illo ipſo ſaeculo concessisse in ſeudum Wibodo Epiſcopo Parmenſi civitatem Parmae cum omnibus ejus regaliis? Male Ughellius id ſactum fuisse putat an. 872., cum quinquennio ſerius id eveniſse probetur ex monumento ad ipſum Wibodum pertinente, datoque 29. Decembris an. 877. Extat illud in tabulario Parmenſis Capituli, & inter cetera ait Epiſcopus ille: *Deus immiſit in cor Serenissimi Regis, quod in manu ſua eſt, teſte ſcriptura, ut nobis in ſervitio Dei Patris et Filii ejuſque Matris pulſantibus et maxime pro ſtatu Eccleſie Parmenſis intervenientibus ſuo roboraret edicto & conſirmaret precepto omne juspublicum & quid quid ad regalem pertinet exactionem omnino in integrum tantum infra Civit. Parmenſem & Pratum, quod vocabatur Regium in jure & poteſtate iſtius Eccleſiae Parmenſis*. Quas poſtea alii Parmenſes Epiſcopi obtinuerant inſeudationes legi poſſunt apud Ughellium, ex quibus omnibus conficitur Regium, non Pontificium jus eſſe in Parmenſem Ducatum.

pericula ; libenter , audacter , libereque dixit quae ad caussam pertinere putavit , et acerbe aspereque accusavit illos , qui allata a se infirmare atque convellere posse sperarunt . Sunt quaſi ministrae comitesque sapientiae moderatio dictorum atque prudentia . Sed facilius aquam a pumice , quam a Fontaninio , cui vehemens et ferox erat ingenium , hasce virtutes postulasses ; qua re factum est , ut cum in locum Clementis XI. successisset Michael Angelus de Comitibus, ipse ab aedibus Pontificis, in quibus habitabat , abire , et omnem spem , quam in illius humanitate et benevolentia poſitam habebat , abjicere coactus fuerit . Illam osculatus est , qua fuit oppressus , manum , tacite gemens tristem fortunae vicem . Tum studia sua vehementius coluit , ut per quae res ejus secundae fuerant ornatae , sublevarentur adversae . Levamentum etiam afferebant aegritudinum congressus amicorum , & officia eorum , quorum opera Innocentius XIII. in illam celsissimam sedem dignitatis atque honoris ascenderat ; quos quidem minime poenituit ita esse molitos , ut quoniam pro ratione temporum

multa agitabantur adversa Romanis Pontificibus, Fontaninius consuleretur quid faciendum esse judicaret. Noli putare quidquam illum maluisse, quam ut Pontificis mandatis ſatisfaceret, et illud praesertim curavit, ut intelligeretur quas adhibuerint machinas Jesuitae ad perdendos tot homines, qui scriptis suis Gallicanam Eccleſiam ornaverant. Quaedam etiam ille exarasse dicitur, quae opportunissima fuerunt ad vindicanda Sedis Apoſtolicae jura, in quae scriptor audacissimus invaserat, et cum nullam praetermitteret occaſionem bene de Pontifice merendi, hic non solum magna ſigna dedit animi erga illum mitigati, sed etiam benevolentissimi. Talis erat Pontifex Innocentius XIII., ut bonis omnibus ad bene sperandum de Christiana Republica quasi signum aliquod sustulisse videretur; sed impedivit eum mors ne multa et magna, quae animo conceperat, ad exitum perduceret. Huic successit Benedictus XIII., cui cum Fontaninius tribuisset semper diligentem cultum, non solum sperare, sed etiam confidere poterat suam illi fortunam et dignitatem curae fore. Ut testatum Pontifex apud animum

illius relinqueret quid sentiret de illius scriptis; haec dixisse, cum primum illum excepit, narratur: *bene equidem tibi dico, qui tot laboribus pro defendendis Romanae Ecclesiae juribus perfuncto digna ut eveniant precor, et quantum potero enitar*. Neque multo post Ancyranum Archiepiscopum et Canonicum Liberianae Basilicae ipsum creavit. Praeposuit etiam officio, quod *Visa de Curia* appellatur, pendique eidem jussit haud mediocrem pecuniae summam ex redditibus Episcopatus Cenedensis. Assignavit ei aedes in pulcherrimo Urbis loco, ut ibi tranquille et placide suis studiis vacaret. Quod totum se Pontifex converterat ad sanctiorem disciplinam revocandam, qua praesertim de caussa in Lateranensi Basilica haberi Concilium voluit, multa ex Fontaninio quaesivit, quasi superiorum temporum consuetudinum et legum interpres, et antiquitatis internuntius ille constitutus fuisset. Et sane nulla res major per illa tempora in controversiam disceptationemque vocata fuit, de qua prius decretum sit, quam ipsius sententia cognita. Accuratissime disputavit de liturgicis libris Romanae Ecclesiae, cum defensionem suscepisset Card. Jo-

ſephi Mariae Thomasii, qui eosdem vulgaverat atque illustraverat. Hujus viri sanctitas et doctrina eo magis eminuit, quo studiosius ab hominibus petulantissimis, quibus praeerat Laderchius, opprimebatur, et ut omnia sua officia constarent erga illum, quem suavissime ac diligentissime Fontaninius coluerat, ubi primum Romam venit, ejusdem vitam exposuit, ex qua poſteri pudoris, pudicitiae atque innocentiae exemplum capere possent. Eodem ſerme tempore de *corona clericali*, *de ſacris peregrinationibus*, *de indulgentiis*, *de caeremoniis quibuſdam*, *de Cingulana Eccleſia*, *quae eſt in Piceno*, *antiquis honoribus Cathedrae Epiſcopalis reſtituenda*, *de Epiſcopatu Eugubino* disseruit, dumque se exercebat in hujusmodi consultationibus, huic laudi videbatur ſtudere uni, ut sacrarum Conſtitutionum, et Pontificalis juris peritissimus judicaretur. Id Benedictus XIII. respiciens mandavit illi, ut poneret operam in vulgandis quinque Gratianei Decreti libris eo ordine, quo illos disposuerat Card. Turrecremata. Hic ordo idem erat, qui librorum, et titulorum Epiſtolarum Decretalium, quae Gregorii IX. dicuntur. Exem-

plar Turrecrematae operis chartaceum aſſervatur in bibliotheca Barberinia, ſed illud typis imprimere quanti laboris fuerit, ex praefatione Fontaninii perſpici poteſt. Ait enim: *in ea* (editione) *procuranda, ſingulorum Canonum citationes probae a ſpuriis diſtinctae, ac ad priſtinos fontes, ubi licuit, ſecundum praeſtantiores editiones recenſitae. Ad editionem Romanam exactae pariter fere omnes. Quasdam enim paucas variare, aut tangere, nobis, earum lectionem pro codice habentibus, religio fuit. Characterum diverſitate omnia diſtinximus. Ad Sacrorum Bibliorum loca in contextu recitata, librorum, capitum, & verſiculorum numeros e regione exaravimus: quaeque de noſtro alicubi poſt ſingulos canones perſaepe acceſſerunt, ea litteris minutioribus inter geminos uncos clauſimus, ut noſtra ab alienis ſejungeremus. Suſpectis brevi monito conſuluimus; perperam in dubium vocatis praeſto fuimus, non raro adductis auctoribus, qui ea tuerentur. Pro majori canonicae eruditionis utilitate partitionem et numeros vulgatae editionis Gratiani ad oram ſingulorum canonum adnotavimus, ut facile conferri, & quacunque occaſione mox reperiri poſſent. Prae-*

terea quinque indices contexti, I. *Librorum*, *titulorum*, *rubricarum*, *et canonum*. II. *Canonum tantum*, *principiis eorum*, *ordine alphabetico ita contextis*, *ut huic noſtrae*, & *etiam reliquis editionibus accommodetur*. III. *rerum*. IV. *Hiſtoricus*. V. *Geographicus et Chronologicus*. *Pithoeorum curae multa nobis ſubminiſtrarunt. Ex iis non ſine criſi ſelegimus quae ad rem noſtram facere videbantur*, *ſcriptorum*, *unde teſtimonia proferuntur*, *expreſſis aetatibus atque epochis certioribus*; *locorum etiam nominibus*, *ubi opera*, *quae laudantur*, *conſcripta*, & *quo interdum miſſa*. In tanto labore exantlando, addit ipse, se solidos menses XVI. consumpsisse, et mirificos sibi adjutores fuisse Vincentium Thomam Moneliam et Dominicum Georgium, viros divinarum rerum scientia claros. Quantum satis esse videbatur disseruit *de collectione Isidoriana*, hanc vel ipsis Romanorum Pontificum jurium defensoribus acerrimis Antonio Augustinio, Caesari Baronio, et Roberto Bellarminio suspectam fuisse probans, docuitque unde repeti debeat auctoritas, quam obtinuit Gratiani Decretum, quidque judicandum sit de hoc ab iis, qui ratione, non odio judicant. Quod

bene meritum de Pontificio jure, et de Romanis Pontificibus Turrecrematam laudibus extulerit, veniam ab se haud peti debere ait, non desperans illam viam, quam ipse tenuit, sibi ad honores fore expeditissimam. Hujusmodi opus non potuit Benedicto XIII. non summe esse gratum, qui ita gubernabat Chriſtianam rempublicam, ut veterum leges, inſtituta, mores, quorum in Gratiani Decreto non modo adumbrata, ſed etiam expressa sunt veſtigia, prorsus inſtaurari optasset. Quod vero sapientissimus Pontifex illud praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum censebat esse, intueri sanctitatis documenta in illuſtri poſita monumento, ſtimulavit Fontaninium ad vulganda, quae de S. Columba collegerat illo tempore, quo iter per Italiam habens ad patrios lares redierat. Ex his confecit commentarium, ex quo apparet Virginem illam Aquilejensem evaſiſſe ex ſtrage, qua complevit florentissimam provinciam Hunnorum Rex Attila, eamdem ex hac vita ad superos migrasse III. Non. Aug. an. CCCCLIII., in summo faſtigio veterrimae arcis & montis Osopi conditam, eoque in

loco

loco Deo aediculam dedicatam fuisse, et ejus sepulcrum sanctum, auguſtum et religiosum semper habuisse Forojulienses, & magna frequentia celebrasse. Egit Fontaninius cum Bollandianis, ut suam quoque Columbam adscriberent ordinibus Sanctorum, quorum vitas scite et litterate exponebant; et digna quidem erat hoc honore, quod ea, quae scriptis mandavit Fontaninius, ex epitaphio antiquiſſimo a se primum detecto, aliisque incorruptis monumentis hauserat. Sed ita in illum animati erant omnes Jesuitae, ut nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere potuerit (1). Alia hujusmodi, quae ad Sanctorum res geſtas et reliquias pertinent, poſtea exaravit Fontaninius, pugnavitque acerrime pro Ticinenſibus, qui magno id ſibi ornamento esse exiſtimabant, quod possiderent Auguſtini cineres, cujus ignoratum sepulcrum detectum fuisse putabatur an. MDCXCV. cum altare quoddam inſtauraretur *in Confessione Eccleſiae S. Petri in Caelo aureo*. Si Fontaninio fidem habemus,

T. XIII. Q

(1) Vide quae ipſi attulerunt in vol. II. Act. Sanct. menſis Auguſti p. 124.

saeculo V. exeunte corpus sanctissimi viri ex Africa in Sardiniam ab Episcopis, quos Trasamundus Rex Vandalorum in exilium ejecerat, translatum fuit. Nullo certo monumento id probat, tantummodo conjectura quadam ducitur ad id credendum, quod Beda et Paullus Diaconus, qui illum excripſit, teſtentur saeculo VIII. Luitprandum Longobardorum Regem magna pecunia a Saracenis redempta Auguſtini ossa e Sardinia Ticinum asportanda curasse. Nihil his testimoniis potius habuit; cetera, quae affert, antiquitate auctoritateque illis concedunt, nec illa tanti esse putamus, ut rem maxime dubiam certam faciant. Fortasse Fontaninius ipse diffidebat se posse firmissime in hac caussa conſiſtere, in quam Summi Pontificis jussu ingressus fuerat. Laudi tamen ei damus, quod multa eruditione *Diſquiſitionem* suam ornavit; nam & de Trasamundi crudelitate in Africanos Episcopos, de antiquorum ritibus in sepeliendis Sanctorum cadaveribus, de phialis oleo plenis, quae in eorum sepulcris reperiuntur, de velis, aliisque hujusmodi rebus copiose disseruit. Ait etiam se mirari quod

Digitized by Google

ignoraverit vir ſummus Cluverius, idcirco urbem Ticinum dictam fuiſſe Papiam, quia ex tribu Papia, cujus mentio ſit in aliquot pervetuſtis inſcriptionibus, eo colonia deducta fuit. Diu disceptatum eſt a multis, num Ticini eſſet, inventumque fuerit S Auguſtini corpus, & qui Auguſtinianorum familiae praeerat vir doctus Fulgentius Bellellius, duobus voluminibus comprehendit, vulgavitque Venetiis, quae hinc illinc ſcripta fuere. De Fontaninio quidem & Saxio, quorum ſententiae plurimum tribuere videbatur Bellellius, vere judicatum putamus: *ea dicitis quae non ſentitis, utque veſtitum, ſic ſententiam habetis aliam domeſticam, aliam forensem* (1). Certiora habuit Fontaninius quae in apertum proferret de Sancto Petro Urseolo, quod ſummi ſui ſtudii in Venetam Rempublicam, cui vir ſanctiſſimus, antequam an. DCCCCLXXVIII. Benedictinorum familiae nomen daret, praefuit, ſignum eſſe debere ajebat. Noli putare Fontaninium ea tantummodo perſecutum fuiſſe, quae commendant vitam, mores ac ſum-

(1) Ex Cic. lib. II. de finib. cap. 24. Vid. Acta Lipſienſia an. 1731.

mam Urseoli ſanctimoniam, ob quae ei Sanctorum honores merito decretos fuiſse, & confirmandos esse contendit: nam explicat & excutit multa, ex quibus clariſſimarum familiarum Urſiolae, Juſtinianae, & Buduariae propagines, ſucceſſiones Ducum Venetorum ab an. DCCCCLIX. ad annum usque MIX. & alia ad Venetiarum & locorum, ac praeſertim Aquitaniae, in quibus Urseolus commoratus eſt, hiſtoriam pertinentia poſſimus cognoscere. Haec gratiſſima fuerunt Veneto Senatui, qui binis aureis numismatibus et honorificentiſſimis litteris remunerandum Fontaninii laborem censuit. Eſt etiam unus liber de vita Camillae Urſiniae Burghesiae, quem ab Alexandro Maffejo amiciſſimo suo inchoatum Fontaninius ita perficiendum putavit, ut in eo multa ad sancte et caste agendam vitam praecepta continerentur. In quibus dum elaborabat, potius quid se facere par esset intuebatur, quam quid alii, qui majora ab ipso exigebant, laudaturi forent. Quod non solum pudoris pudicitiaeque exempla plurima, et praecepta salutis, sed etiam elegantia & munditia Etruscae orationis peti possunt ex

libris moralibus S. Gregorii, quos in Italicum converterat Zanobius a Strata, omnem a se adhibendam diligentiam putavit Fontaninius, ut illi emendatiores iterum Romae in lucem prodirent. Praeclara voluntas, atque omni laude digna. Num vero ipse plane satisfecerit eruditorum expectationi, ex Apoſtolo Zeno cognosces (1), in cujus de Fontaninio judiciis probo quidem severitatem, acerbitatem non item: quanquam plerisque videatur haud debuisse esse mitis in judicando de homine, qui nullis unquam condimentis humanitatis severitatem acerbam mitigavit. Mihi quidem ignosces ſi appellem talem virum saepius. Veriſsimus enim & sapientiſsimus judex Zenus fuit de iis rebus omnibus, quae ad litteras Italicas editosque libros pertinent, & id dolemus, quod Fontaninius tot ad reprehendendum ansas propter praeproperam praesertim in scribendo & de alienis scriptis judicando feſtinationem, ac fer-

(1) *Vid.* Annotazioni alla Biblioteca dell'Eloquenza Italiana T. II. a pag. 469. ad pag. 475.

vidum ingenium illi dederit. At ſi interdum illi deligentia, non labor certe defuit, cum in auctoribus cognoscendis, in evolvenda antiquitate, in notitia vel rerum, vel hominum, vel temporum omnem fere vitam consumpſisset. Illum pene se amiſisse annum arbitrabatur, quo non aliquid ex thesauris suis in lucem protulisset. Feciſſet hoc egregie, ſi quod animo conceperat, praestitisset, ut inſigniora quaedam Chriſtiana monumenta, quorum maxima Romae eſt copia, illuſtrasset. Nam hercle idoneus erat, ut ex illa dissertatione conjici poteſt, quam de *Disco argenteo votivo* non ita pridem Perusiae reperto, & ad Museum Albanium delato, an. MDCXXVII. in vulgus edidit. Videtur illum ex aede principe S. Petri barbarus miles abſtulisse. Erat enim una ex gabatis votivis & gabatis seu lancibus utebantur majores nostri in sacrae mensae ministerio. Hoc ipso in disco victoriam de Maxentio a Constantino ad pontem Milvium reportatam exprimi putat Fontaninius. Inscriptio vero, quae ipsum circum ambit, tota veterum Christianorum pietatem ac religionem olet. Sic enim se habet.

DE . DONIS . DEI . ET DOMNI . PETRI.
VTERE . FELIX . CVM . GAVDIO .

Haec praesertim occaſionem Fontaninio suppeditat multa de donariis, aliisque ritibus Christianorum disserendi, quod dum praeſtat, se Christianarum antiquitatum litterate peritum ostendit. In praefatione libri eos recenset et laudat, qui in hujusmodi studiis utilem operam posuerunt, et admirari in primis videtur hominem Florentinum ſibi amicitia conjunctum Philippum Bonarrotium, quo sane nemo doctior, nemo prudentior extitit. Post haec rediit ad se, atque ad morem suum; nam in extremo libro vehementissime objurgavit nonnullos, quos Romanis Pontificibus inimicos esse arbitratus eſt, cum quibus se inexpiabile bellum ſuscepisse gloriabatur. Questus & graviter est, quod extitisset, qui non solum sumeret multa e sua Dissertatione, ſed etiam surriperet, nulla sui mentione habita (1). Qua in re multo am-

(1) Vid. Eloquenza Italiana pag. 491.

bitiosius fecisse mihi videtur, quam honos illius & fama postulabat. Sed erat laudis percupidus, & de suis rebus gestis libenter et saepe loquebatur. At hoc non concedo, ut qua re gloriabatur in se, libertate scilicet dicendi quae sentiebat, eamdem reprehenderit in aliis. Haud enim ferebat eos, qui a se discrepabant; disrumpebatur dolore, et iracundia exardescebat, cum vel de levissimo errore coarguebatur. At ſi quidquam in vita est praedicabile, eſt profecto defenſio veritatis et praestantium virorum, qui pro ea pugnarunt, et hac certe laude non caruit Fontaninius. Matthaeo Petitdidierio Benedictino homini, qui Jansenismi reus accusabatur, ea tribuit, ut plura a parente proſicisci non potuerint. Egit cum Pontifice ut Abbatia Senonenſis Benedictinis restitueretur, quam ob rem ab Augustino Calmetio, qui illam rexit, maximae gratiae illi actae sunt. Scripta Petri Brunii Oratorii Gallicani Presbyteri praeclare auctoritas ejus commendavit, postquam ille docilem se praebuit ad quaedam in illis corrigenda. Confirmavit sententiam

eorum, qui antiquissimas caeremonias *ſalivae*, *ſalis* et *inſufflationis* in Baptismate Indianorum haud posse negligi affirmabant, retulitque ad Benedictum esse summorum Pontificum, quorum auctoritati et fidei et prudentiae Deus ipſe sacra religionemque commendavit, nihil his de rebus remittere. Scripto etiam probandum suscepit ab illorum sapientia remotissimum fore, ſi Cordis Jesu cultum invehi in Ecclesiam ſivissent, quia Christus *non concisus, non confractus, non diviſus, ſed integer accipitur & colitur;* et qui ejus partes et membra quodammodo caedunt, ut separatim colant, videri ipſi Servatori injuriam facere. Omitto alia plurima, de quibus consultus disseruit, ob quae graves inimicitias suscepit. Excepit etiam offenſionem ex eo ſcripto, quo pallium negandum Aretinis Episcopis probavit, & Cardinalis Laurentius Corſinius, cui haec aequa et honesta postulatio videbatur, ut Pontifex Maximus creatus est, abire suis Quirinalibus aedibus Fontaninium jussit, eique alia irati animi ſigna dedit. Tulit haec graviter, sed aliquanto levius, quia, ingra-

vescente aetate, cupiditates deferbuerant. Spe reliquae tranquillitatis praesentem calamitatem leniebat, et prope lugubri voce gesta a se pro defenſione Sedis Apostolicae recordabatur. Veluti veteranus miles, quem nunquam deserit animi excelsi atque invicti magnitudo ac robur, jus illud *Regaliae*, quod ſibi Reges vindicabant, infirmare ſtuduit, cum opus Henrici Noriſii Cardinalis *de Inveſtituris* edendum, et eam partem, quam ipse inchoatam reliquerat, absolvendam suscepisset (1). Non minus id contendere atque laborare videbatur, ne quid suorum jurium Romani Pontifices amitterent, quam uti ea, quae dormientibus Principibus obtinuerant, recuperarent. Eodem quoque tempore in eo evigilaverant curae et cogitationes Fontaninii, ut jamdiu inſtitutum a se opus de doctis viris Forojulienſibus perficeret, quapropter irasci iis visus eſt, qui ab hoc ſtudio illum revocare conati sunt, ut aliquid exararet de iis controversiis, quas

(1) Vide ipſius Noriſii vitam Tom. VI. p. 77.

Pontifex habebat cum Sardiniae Rege. Quod aegre ſibi imponi ſivit, brevi abjecit, retulitque animum ad priſtinas occupationes. Universi operis minima pars eſt volumen, quod anno MDCCXLII. vulgatum eſt Romae cum hoc titulo: *Hiſtoriae Literariae Aquilejenſis libri V.*, et Benedicto XIV. magno harum rerum aeſtimatori nuncupatum. Ipse catalogus virorum illuſtrium Provinciae Forojulienſis, qui eſt in extremo libro, indicio eſſe poteſt quam amplus esset campus, in quo excurrere ſibi proposuerat Fontaninius. Quae vulgata sunt pertinent ad Cornelium Gallum poetam, ad S. Hermetem Paſtorem, ad summum Pontificem Pium I., ad Fortunatianum, & S. Chromatium Aquilejenses Antiſtites, ad Tyrannium Rufinum natura Concordiensem, civitate Aquilejensem, presbyteratu Hierosolymitanum, ejusque edita scripta. Claudit volumen diſſertatio de anno emortuali S. Athanaſii Patriarchae Alexandrini, quem Fontaninius multis argumentis (res enim erat controversa) fuiſſe contendit CCCLXXII. aerae Chriſtianae, Modeſto et Arintheo consulibus. Quanquam doctiſſimorum hominum sententiae non sem-

per consentiant cum dictis Fontaninii (1); unus tamen eſt consensus omnium, ex hoc opere conjici posse fuisse illum omni sacra & profana doctrina eruditissimum; neque arte, ut ejus inimici dictitabant, sed ingenio, ſtudio atque doctrina dimanasse ad exiſtimationem hominum. Utque intelligatur quanta in opinione praesertim esset apud Gallos, in extrema pagina hujus commentarioli exscribemus, quae de eo dicta sunt in celeberrimo Sorbonae Doctorum Collegio, quando ad illos nuncius de morte ejusdem pervenit. Neque dubitare possumus aliquid assentatorie fuisse dictum, quippe de mortuo et externo homine. Mors ejus consentanea vitae fuit: vehemens enim, non placida, cum illam apoplexis attulisset. Sepultus fuit in Liberiana Baſilica cum hac inscriptione.

(1) Vide vol. XI. p. 116. ubi referuntur quae de Rufino & de emortuali Athanaſii anno, quo conſtituto, certo conſtat annus et suſcepti a Rufino baptiſmatis & arreptae ab eo Orientalis peregrinationis, ſcripſit Bernardus de Rubeis adverſus Fontaninii ſententias.

JVSTVS FONTANINVS EX FORO JVLIO
VENETORVM
HVIVS AEDIS CANONICVS
ARCHIEPISCOPVS ANCYRANVS
ET ABBREVIATOR SACRI PALATII
H. S. E.
QVIEVIT IN PACE FIDEI CATHOLICAE
ANNO SALVTIS MDCCXXXVI . DIE XVII .
MENS . APRILIS
NATVS ANNO MDCLXVI. DIE XXX.
OCTOBRIS.

Astitit morienti fratris filius Dominicus Fontaninius, cujus summa non minus in mortuum, quam in vivum merita conſtitere. Collegit enim ordinavitque omnia ejus scripta, libros ad S. Danielem, uti testamento patruus civium suorum utilitati consulens praescripserat, deferri curavit, typis edidit opus *de litteraria Aquilejenſi hiſtoria*, quod supra commemoravimus, & commentarium de ejusdem vita exaravit, ſi non elegantia, ordine ac judicio, pietate certe et multis monumentis, quae illam illustrant, commendatissimum. Nihil est in eo inſigne, quod

non minus mea celebratione commemoratum ſit; quanquam non ita ſim demens, ut aeternitatem immortalitatemque me donasse putem Fontaninio, qui manet mansurusque est in animis hominum, fama ipsa rerum gestarum.

OPERA EDITA

Delle Masnade ed altri ſervi ſecondo l' uſo de' Longobardi. Ragionamento di Giuſto Fontanini. In Venezia per Girolamo Albrizzi 1698. in 4.°

Lettera al Sig. Apoſtolo Zeno intorno alle opere del Taſſoni. *Extat* nelle Annotazioni ſopra il vocabolario degli Accademici della Cruſca, opera poſtuma di Aleſſandro Tassoni &c. Venezia 1698. in fogl.

L' Aminta di Torquato Tasso difeſo e illuſtrato. In Roma nella ſtamperia del Zenobi e Placho 1700. in 8. e in Venezia presso Sebastiano Coleti 1730. in 8. con annotazioni del Sig. Uberto Benvoglienti sotto nome d' un Accademico Fiorentino.

De usu & praestantia bonarum literarum Oratio habita in Archigymnasio Romano. Romae per Franciscum Gonzagam 1704. in 4.°

Vindiciae antiquorum diplomatum adversus Bartholomaei Germonii dissertationem lib. duo. Romae 1705. *per Franciscum Gonzagam.*

Dell' Eloquenza Italiana Ragionamento steso in una lettera all' Illustriss. Sig. Marchese Gian Giuseppe Orsi. In Roma 1706. in 4.° In Cesena 1724. per Giuseppe Gherardi in 4. In Roma per il Mainardi 1726. in 4. Edizione disapprovata dall'Autore con pubblico Manifesto. In Venezia presso Giovanni Malachini 1727. in 8 e finalmente in Roma 1736. in 4., ma talmente accreſciuta, che puossi dire opera nuova avendo ancora il titolo diverso, che è il seguente. *Della Eloquenza Italiana di Monſignor Giuſto Fontanini Arciveſcovo d' Ancira libri tre.* Nel primo ſi ſpiega l' origine e il processo dell' Italiana favella. Nel ſecondo ſi tratta del ſuo ingrandimento per l' opere ſcritte. Nel terzo ſi diſpone una Biblioteca ordinata d' Autori ſingolari nelle materie più claſſiche, illuſtrata di molte osservazioni. Impreſſione nuova, e dalle precedenti affatto diverſa. In Roma nella ſtamperia di Rocco Bernabò in 4. *His verbis Dominicus Fontaninius retulit patrui opus.*

Il Dominio temporale della Sede Apoſtolica ſopra la città di Comacchio colla difeſa del medeſimo Dominio. In Roma per Franceſco Gonzaga 1709. in fol.

Difeſa ſeconda del Dominio temporale della Sede Apoſtolica ſopra la città di Comacchio. In Roma 1711. in fol.

Confutazione d' uno ſcritto Italiano e Franceſe ſparſo in Germania intorno a Comacchio. In Roma 1711. in fol.

Riſpoſta a varie Scritture contro la S. Sede in propoſito di Comacchio. in Roma 1720. in 4.

Bibliothecae Card. Imperialis Catalogus ſecundum auctorum cognomina, ordine alphabetico diſpoſitus. Romae 1711. apud Franciſcum Gonzagam in fol.

De translatione codicis S. Marci ex Foro Julio Venetias. Extat in libro Montfauconii, cui titulus: Diarium Italicum *Pariſiis* 1711.

De antiquitatibus Hortae Coloniae Etruſcorum lib. III. *Romae apud Rochum Bernabò* 1713. *in* 4. *et in Tom. VIII.* Theſauri Antiquitatum Italiae: Lugd. Batavor.

I Morali del Pontefice S. Gregorio Magno ſopra il libro di Giobbe, volgarizzati da Zenobi da Strata Protonotario Apoſtolico, Poeta laureato, e contemporaneo del Petrarca, purgati da varj errori e di Prefazioni illuſtrati da Monſignor Fontanini. In Roma Tomi 4. in 4. Il primo per gli Eredi del Corbelletti 1714. Il ſecondo nella Stamperia Tinaſſi 1721. Il terzo per Girolamo Mainardi 1725. Il quarto nella Stamperia di Rocco Bernabò 1730.

Diſſertatio de corona ferrea Longobardorum. Romae apud Gonzagam 1717. *in* 4. *Lipſiae apud Weidmannum, & in vol. IV.* Theſauri Antiquitatum Italiae.

Iſtoria del Dominio temporale della Sede Apoſtolica nel Ducato di Parma e Piacenza. In Roma per Franceſco Gonzaga 1720. In fol.

Tavola cronologica degli Autori, i quali giuſtificano la Conſtituzione di Lodovico Pio ſopra gli Stati della Chieſa Romana.

Vita Philippi a Turre Adrienſis Epiſcopi. Extat in libro ipſius a Turre, qui inſcribitur: Monumenta veteris Antii. Romae 1724.

De amplitudine peculiaris Provinciae Summi Pontificis, ut Romani Metropolitae; deque Epiſcopatu Eugubino in eadem poſito, commentatiuncula. Romae typis Rev. Cam. Apoſt. 1725. in 4.

De Cingulana Eccleſia in Piceno, antiquis honoribus Cathedrae Epiſcopalis reſtituenda, conſultatio. Romae Typis Rev. Cam. Apoſt. 1725. *in* 4.

Di S. Colomba Vergine ſacra della città d' Aquileja Commentario. In Roma nella Stamperia di Rocco Bernabò. 1726. in 4.

Gratiani Decretorum lib. V. ſecundum Gregorianos Decretalium libros titulisque diſtincti, praefatione, ſcholiis & indicibus illuſtrati a Juſto Fontanino. Romae apud Hieronymum Mainardum 1726. *in fol. tom. II.*

Diſcus votivus argenteus commentario illuſtratus. Romae typis Rochi Bernabò 1728. *in* 4.

De corpore S. Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi Diſquiſitio. Romae typis Rochi Bernabò 1728. *in* 4. *& Venetiis a Coleto in libro, cui titulus:* Collectio Actorum, atque allegatorum, *quibus oſſa ſacra Ticini in Confeſſione S. Petri in Coelo aureo an.* 1695. *eſſe Sacras S. Auguſtini &c. exuvias probatum eſt, & noviſſime judicatum.*

Ragioni per l' identità del corpo di S. Agoſtino eſtratte dalla diſquiſizione Latina. In Roma nella Stamperia di Rocco Bernabò 1728. in 4.

Achates Iſiacus Annullaris commentariolo illuſtratus. Romae typis Rochi Bernabò 1728. *in* 4.

Codex Conſtitutionum, quas Summi Pontifices ediderunt in ſolemni canonizatione Sanctorum a Joanne XV. ad Benedictum XIII. accurante Juſto Fontanino, qui lemmata et notulas addidit. Romae Typ. Rev. Cam. Apoſt. 1729. *in fol.* Vide quae ad locum quemdam hujuſce operis adnotarunt Bollandiani *in Tom. II. menſis Auguſti p.* 248.

De S. Petro Urseolo Duce Venetiarum Diſſertatio. Romae typis Rochi Bernabò 1730. *in* 4.

Vita del venerabile Card. Giuseppe Maria Tomasi. *Haec extat in ephemeridibus* de' Letterati d' Italia, *quo in opere extat etiam Fontaninii epiſtola ad Ruinartium de morte Mabillonii edita prius in* 4.

Vita della ven. Principessa Cammilla Orsini Borghese, principiata dal Sig. Cav. Alessandro Maffei, e continuata dal Fontanini.

Juſti Fontanini Archiepiſcopi Ancyrani Hiſtoriae literariae Aquilejenſis libri V. Accedit Diſſertatio de anno emortuali S. Athanaſii Patriarchae Alexandrini, nec non virorum illuſtrium Provinciae Fori Julii Catalogus ad Benedictum XIV. P. M. Romae 1742. *apud Paleariuos in* 4.

Referri poſſent inter Fontaninii opera plurimae Latinae ejus inſcriptiones, plurimaeque epiſtolae ad Familiares. Extitit et qui fingeret eumdem ſcripsiſſe libellum multarum paginarum, qui hunc prae ſe fert titulum. Lettera di Monſig. Giuſto Fontanini ſcritta dagli Eliſi all' Autore dell' Osservazioni letterarie. In Napoli 1743.

Nihil elegantius, nihil venuſtius hoc libro fieri potuit, quo auctor defenſionem arripuit Eloquentiae Italicae *adverſus Scipionem Maffejum ceteroſque hujus operis reprehenſores nimium ſeveros. Cum defensione jungitur confessio erratorum quorumdam, et caussae eorum afferuntur. Vid.* Novelle Letterarie pubblicate in Firenze l' anno 1744. Tom. V. col. 8. *Profecto ad Fontaninii gloriam magnus cumulus acceſſiſset, ſi vivo, ut mortuo, par data fuisset ad ſcribendum facultas.*

Reliquum eſt ut exſcribamus ex vita, quam Dominicus Fontaninius patrui ſui edidit, Orationem, quae dicta fuit in Collegio Sorbonae. Sic ipse illam ex Gallica in Italicam linguam convertit.

Abbiamo avuta la notizia, Signori, di una perdita, che intereſſa tutta l'Europa letteraria. Il celebre Monsig. Fontanini, sì cognito per la ſua erudizione, sì ſtimato per la ſua modeſtia, è morto in Roma il meſe paſſato di Aprile. Egli era nato ſuddito della Repubblica di Venezia, le inclinazioni della ſua gioventù diedero un vero ſaggio de' di lui talenti, e buon guſto verso gli ſtudj, e benchè Venezia ſia la principale delle più ſavie Repubbliche, che giammai l'Europa abbia ammirato, e foſſe ſtata ſufficiente ad iſtruirlo, e ad aprirgli delle ſtrade per farſi merito, nientedimeno volle andar a Roma in tempi, che aſſai fiorivano le belle lettere. Egli ſi diede a conoſcere per uomo di ſpirito, ma la ſua ritiratezza fu di oſtacolo, che non diveniſſe ſubito paleſe in una Città, dove comunemente ſi fanno grandi fortune, e che conviene praticare, ma ſoprattutto aver un certo carattere di accortezza, che il giovane Fontanini non ſi curò mai di poſſedere. Ci voleva un ottimo conoſcitore di lui, come fu il Cardinal Imperiali, per levargli il velo di queſta modeſtia, e ſcuoprire li di lui talenti, dandogli tutta la confidenza, e facendolo cuſtode della ſua Libreria, della quale non aveva coſa più cara, il che ſervì di onore e all' uno, e all'altro per il Catalogo, che di essa compoſe, che in queſto genere si può dire che ſia un modello, e un capo d'Opera. Nel palazzo di ſua Eminenza ebbe l'opportunità di fare amicizia con tutti li principali perſonaggi, che allora ritrovavanſi. I Grandi diventano maggiori, quando uniſcono alla loro grandezza la protezione delle lettere, e de' Letterati. Il Cardinal Imperiali avea converſazione ſtabilita e fissa ogni ſettimana, alla quale in riguardo del Bibliotecario intervenivano molte

perſone. Benedetto XIII. di caſa Orſini fu eletto Papa, che conoſceva il merito di Monſignor Fontanini, e la egual inclinazione di eſſi alla pietà e allo ſtudio fu cagione di una ſtretta familiarità, che poteva chiamarſi amicizia. Era queſto Pontefice un riguardevole perſonaggio, amante de' Letterati, perchè tale era egli, ſebbene più volentieri alcuni dicano, che ſia ſtato piuttoſto fornito di grande bontà, che di molta dottrina, eſſendo però coſa certa, che la pietà non andava diſgiunta dalla ſcienza, e quì in Francia ſono ſtati tradotti li di lui *Diſcorſi* ſopra tutti li Sabbati dell'anno, che vengono letti con grande ammirazione. Per teſtimonianza del Fontanini il Papa era dotto, e devesi preſtar fede, perchè in genere di lodare non era egli molto prodigo, e ciò per ſolo titolo di giuſtizia. Lo fece Arciveſcovo d'Ancira *in partibus*, Prelatura aſſai piu ſtimata in Italia, che in Francia, eſſendo per lo più la ricompenſa di un gran merito, o di una illuſtre naſcita. Fu fatto parimente Canonico della Baſilica di S. Maria Maggiore, la qual dignità è ſolita a conferirſi a perſone qualificate, e le rendite ſono aſſai buone.

L'Arciveſcovo d'Ancira divideva il tempo, impiegandolo parte negli ſtudj, e parte negli uffizj di pietà, nè in caſo di grande neceſſità poteva ſtaccarſi dalla ſua domeſtica Libreria, dove riceveva tutti quelli, che venivano in Roma per solo motivo di approfittarſi nelle ſcienze. Aveva egli corriſpondenza letteraria con tutti li uomini illuſtri dell'Europa, e per l'inclinazione, e per giuſtizia dava una glorioſa preferenza a que' Franceſi, che in occaſioni di Conclavi capitavano in Roma. Ebbe una bontà particolare per il merito dell'Arciveſcovo di Burges,

per il Sig. Abate *de Rothelin*, e per li Monaci Benedettini della Congregazione di S. Mauro Bernardo de Montfaucon, Renato Maſſuet, Pietro Couſtanzio, Carlo Conrado, Michele Felibien, Niccolò Nurrio, Vincenzo Theillier, ed altri, e fra' Domenicani per il P. Michele Lequien, oltre all' Abate Renaudot, col quale tenne lunga corriſpondenza. L'uguaglianza di ſpirito, la candidezza de' coſtumi di queſto Prelato sì ne' diſcorſi, come nelle operazioni, il deſiderio inſaziabile di fare conoſcenza con tutti, furono li giuſti motivi delle ſue amicizie. Il ſuddetto Abate de Rothelin eſſendo comparſo a Roma in concetto di uomo di gran merito e riputazione, di niente più si pregiava, che dell'onore particolare di conoſcere Monſignor Fontanini, sì giuſto ſtimatore delle perſone. Un certo contraſto letterario, che ha avuto con alcuni Geſuiti Franceſi, non gli fece niente ſminuire la ſtima, che professava a queſta Compagnia, e però riguardava il P. Harduino, come uno de' primarj dotti ſoggetti della Francia, e il Padre Turnemine era da eſſo fuor di ogni credere onorato, e lo ſteſso ſi può dire che praticaſſe verſo li Padri Sollerio, e Janningo, due celebri continuatori del Bollando.

Oltre le Opere a tutti note, l' ultima edizione della *Eloquenza Italiana*, che ſta per pubblicarſi, è la più inſigne; l' Autore in queſta più che nelle altre comparirà per quel celebre letterato che è ſtato: la ſcelta delle materie l' ordine, la diſpoſizione, la bellezza dello ſtile, la vivacità dell' eſpreſſione, la giuſtizia che farà a tutti, di concerto la renderanno un capo d' Opera. Monſignor Fontanini ſi era formato delle regole, e delle maſſime ſopra ogni ſorte di ſtudj, nè mai ha voluto impacciarſi in affari di

Religione, e in materie di ſcienze e di erudizione non ſi ſtancava mai di ragionare, perchè il ragionamento è la chiave delle ſcoperte, e delle nuove cognizioni; in materia di medicina il rimedio è prenderla rare volte, perchè la migliore è quella, che fa minor male; in materia di ſtudio lo ſtudiare lungo tempo, e la perſeveranza ſono quelle coſe, che fanno gli uomini grandi. La di lui converſazione verſava ſopra di ogni ſorte di libri, e cercava ſpogliarsi di una certa ſuperiorità, la quale a tutti piaceva, al contrario di quelli, che affettano di aſſumerla in una maniera, che tutto il mondo abborriſce. Una vita ſtudioſa, ritirata, piena di buone operazioni lo ha diſpoſto ad una morte criſtiana; è paſſato all' altra vita da una malattia, di cui noi non ſappiamo le circoſtanze, ma in breve ne aſpettiamo il diſtinto ragguaglio; a lui gli ſi conviene tutto quello, che è dovuto ai grandi uomini. Tutti i Letterati piangono la morte di Monſignor Fontanini, e fanno a gara per gettar fiori ſopra la di lui ſepoltura; ma i ſentimenti, che gli uomini inſigni conſervano ne' loro cuori, e la loro memoria è un ritratto ben più perfetto, e più naturale di quello, che l' eloquenza la più ſublime poſsa abbozzare. L' illuſtre Marcheſe Maffei, il dotto Cardinal Davia, il celebre Monsignor Monti hanno dati de' pubblici ſegni del loro dolore, e queſto ſolo baſta per formare di lui un elogio de' più perfetti. L' *Abate de Cherrè* era in Francia uno di quelli, che avea letteraria corriſpondenza col Fontanini, a cui profeſſava amicizia sì grande, che gli poteva essere motivo di vanagloria, ſe non l'avesse conſiderata come un effetto della di lui bontà, e per la quale gli ha ſempre professata una viva, e giuſta riconoſcenza.

ANGELUS FABRONIUS

JOSEPHO FARSETIO VENETO PATRICIO

S. P. D.

Sunt duri quidam et agreſtes homines, qui ſaepe invehi ſolent in dulcia mythologiae mendacia, in fictiones illas, quibus Homerus et Heſiodus, et post illos poetae omnes carmina ſua ornarunt. Sed quamvis hae fictiones minime veritates utiles, et interdum etiam neceſſaria praecepta tum ad vitam, tum ad populos regendos occultarent, non propterea justa caussa esset illas vituperandi abigendique: animare enim, et nobilitare videntur naturam ipsam, non ſecus ac si Templum Dei esset omne id quod conspicimus. Florum omnium varietates, suavitatesque odorum, qui afflantur ab iis, munera ſunt Aurorae, quae lacrimis suis illos gignit, mulcet et educat. Dulcis Zephyri flatus folia movet, Najadum suspiria

salientis et decurrentis aquae murmur efficiunt, et siquid audies strepitus sonitusque, dum agros et nemora peragras, Dianam adeſſe putabis, canibus, cornu et cursu cervos insequentem, aut Dryades, Napaeas, Limoniadesque terram alterno pede quatientes. Deus huc et illuc ventos efficit, Deus caelo demittit aquas, easque aut intra ripas cohibet, aut diffluentes late vagari ſinit. Bacchus colit arva, & uvae repertor et sator est, Ceres spicis redimita messibus praeest, et a Pomona fructuum ubertatem et copiam accipimus. Quis est ille, qui in ſummo montis complet aures meas tam dulcis sonus? Fundit illum Pan Deus Arcadiae, qui fistula suspirat amores absentes, eique carmina melle dulciora aptat. Sol Deus est forma pulcherrima, qui undis aureum caput effert, et flammeo curru vehitur, ut cuncta sua luce lustret et compleat. Luna est ipsa Dea formosissima, quae Solis annuos cursus spatiis menstruis consequitur, et accessu et recessu suo ab eo lumen accipit, et mittit in terram, ut homines de fratris absentia consoletur. Neque haec solum clarissima mundi lumina, quae caelo labentem annum ducunt, sed et aſtra omnia tum ea, quae infixa sunt certis locis, tum illa errantia divinis

animata sunt mentibus, ob eamque caussam aut suis sedibus perpetua inhaerent, aut immutabilibus spatiis ab ortu ad occasum commeant cursus suos orbesque confectura celeritate atque constantia admirabili. Dominatur mari Neptunus, quem innumerae comitantur Nereides concharum sono, quas praeeuntes Tritones inflant, saltantes. Ille Divûm atque hominum Pater Juppiter maximus aut fulmina, quae Cyclopes fabricarunt, etherea domo dimittit ad perterrendos puniendosque homines, aut parvo capitis motu Olympum quatit, aut riſu naturam laetificat. Circum eum ſunt Numina purpureo in ſtratu assidentia, et bibunt ambroſiam, quam juvenis pulcherrima Hebe miniſtrat. In hoc Deorum concilio fulget Venus solo ornata cinctu, et circum eam ludunt charites, risus et joci; ludit et Amor, qui licet inter agros, interque armenta natus sit, caelum tamen ipsum et naturam universam suo imperio subjecisse videtur. Hi, hisque similes poetarum nos delectant errores; et quod in iis oblectamenta et solatia servitutis, ceterorumque malorum, quae humanam vitam comitantur, invenerunt homines, et quod ab iis artificiosa, et divina opera Graecorum, quae tantopere admira-

Digitized by Google

mur, dimanarunt, nimis aspere et rustice (quin etiam dicam illitterate?) ii nobis agere videntur, qui illos, tanquam delirantium somnia, omnino deridendos atque contemnendos pronuntiant. Sed, ut supra innuimus, latent in ipsis ſabulis multa vera, quae idcirco velis quibusdam obtendebantur, ne palam proposita a vulgo contemnerentur atque irriderentur, omninoque illud affirmari posse videtur, mutuis officiis philosophos a poetis fabulam, poetas a philosophis sapientiam accepisse, quod respiciens Aristoteles in exordio Primae Philosophiae ſcripsit, amatorem fabularum quodammodo philosophum esse. Profecto ad rerum quarumdam naturalium memoriam retinendam, et opiniones, quas de iis veteres habuerunt, comprehendendas mirifice conducunt fabulae, ut illa de Phaethonte, qui terram, quae circa Padum est, ut nunc etiam multa indicia apparent, praesertim in Patavinis montibus, combussisse videtur, illa de Neptuno, qui idcirco a Graecis Ἐννοσίγαιος *appellabatur, quod ab aquis in terrae visceribus clausis illa moveri putabatur. Prothei fabula tota physica est, sub quo tegumento materia communis rerum omnium delitescit, et hujusmodi similia multa in Homero occurrunt, quae Plutarchus in*

primis atque Heraclides Ponticus perſecuti ſunt; ex quorum explicationibus facile intelligi poteſt retruſa atque abdita eſſe in Deorum fabulis praecipua veterum phyſicorum myſteria. Nonne quod maxime in cognitione rerum ſalubre et frugiferum eſt, ſcilicet, ut quod tibi tuaeque reipublicae utile ſit capias, quod foedum inceptu, foedum exitu vites, ex poetarum fictionibus praeſertim diſces? Eſt officium hominis, ut unam atque alteram rem exempli cauſſa ponamus, non eſſe nimis curioſum in exquirendis iis, quae ad Deum pertinent, cujus praecepti vim, et quae ſequantur ex violatione mala, unde melius cognoſces, quam ex poena, qua affectus fuit ille curioſus Bacchicorum myſteriorum inveſtigator Pentheus, qui vidit

Et geminum ſolem, et duplices ſe oſtendere
Thebas?

Quod voluptas rationi inimica impediat conſilium, ac mentis perſtringat oculos; nec habeat ullum cum virtute commercium, hujus veneficam naturam veluti in tabula pictam inſpicies in Homerica Circe, et, ſi cupis, tanquam alter Ulixes, a Mercurio herbam μωλυ *dono accipies, qua ejus peſtiferos morbos ſanare poſſis. Quae ratio poe-*

tas, maximeque Homerum impulit, ut unicuique rei, hominumque facultati, studio, indoli Numen suum peculiare tribuerent, nisi ut varias et multiplices universi notas et proprietates, quae ſimul sumptae omnes mundi partium naturas, et κσιας *exhiberent, itemque morum et affectionum* χαρακτηρας*? Immo ut acutiora ingenia id quod res esset suspicari et ad medullam fabulae penetrare possent, Deos induxit Homerus peccantes aliquando, et Diis hominibusque indigna perpetrantes: ita enim cordatis lectoribus manifestum fiebat illos re vera Deos non habendos esse; nihil enim pravum, scelestum, flagitiosum cadit in divinam naturam. Hinc quotiescumque non fabulose aut poetico more, verum serio et ex animi sui sententia locutus est ille non tam poetarum, quam philosophorum princeps, unum Deum posuit, eumque omnia tempora et loca pervadentem, nullis finibus circumscriptum, rerum omnium et naturarum auctorem, cujus personam interdum Jovi gerendam tradit, praecipue cum Diis reliquis ipsum validiorem facit, ut loco illo, quem locum Plato accurate perpendit, ubi catena quaedam aurea in terras a Jove demissa commemoratur. Non sane materia deesset ei, qui vellet fabulas omnes poe-*

tàrum, et quae tum phyſica, tum historica, tum moralia, tum theologica, tum politica ab iis involvuntur explicare; quare minime est mirandum, quod veteres Homeri poemata, quamvis tota ferme ex fabulis contexta sint, speculum vitae humanae et universitatis rerum imaginem appellaverint. Est igitur poesis, ut optime animadvertit Aristoteles, nescio quid majus quam vulgo judicatur, et multis disciplinis, ut Graeco vocabulo utar, φιλοσοφωτερον. *De cujus artis jucunditate, utilitate atque praestantia libuit mihi tecum paucis, si copiam argumenti, multis, si epistolae modum spectes, disserere, occasione sumpta a commentariolo de Jo. Antonii Vulpii vita, qui Latina praesertim poesi unus inter omnes excelluisse videtur. Hoc te humaniter accepturum veluti amoris et observantiae meae pignus sperare jubet amicitia et conjunctio studiorum, quam cum eodem habuisti, ut te laudare mihi videar, dum eos laudo, qui Latinas Musas feliciter excoluere. Vale.*

Pisis Kal. Quint. MDCCLXXXVI.

JO. ANTONIUS VULPIUS

JOannes Antonius Vulpius Patavii ortus est III. Id. Novembris ante lucem anno a reparata salute MDCLXXXVI. Jo. Dominico Vulpio, et Chriſtina Zena. Pater ejus e Valseriana, quae generis antiquitatem testabatur, Patavium circiter an. MDCL. habitatum venit, qua in urbe honoratus erat et propter animi virtutes, et propter honeſtatem familiae, cujus decus non mediocriter augebat affinitas, quam habebat cum Joannelliis. Hi enim summa virtute perfecerunt, ut amplissimis honoribus a Veneta Republica, neque solum iis civilibus, sed etiam summo Sacerdotio (Patriarcham appellant) digni putarentur. Jo. Antonius inſtitutus liberaliter educatione doctrinaque puerili magnam spem in patre excitavit fore, ut qui jam inter aequales eminebat, inter summos etiam viros aliquando ingenio et doctrina excelleret. Illi nihil jam noceri potuit a Guglientio et

Gabellotto Jesuitis, qui publice Patavii, sed perverse, ut aetas illa ferebat, humaniores litteras docebant, cum ex aurei saeculi Scriptoribus, quos diurna nocturnaque versabat manu, poetices et eloquentiae praecepta hauriret. Ad Latinam poesin praesertim ferri videbatur; nam ex tempore interdum Latinos versus fundebat. Quae facilitas persuasit ei, ut Latinis numeris Italicum Tassi poema de Hierosolyma in libertatem vindicata redderet. Perduxit opus ad IX. usque librum, quod postea in ignem conjecit, ex vero judicans illam praeclaram et eximiam speciem perfecti poetae et pulchritudinem, quam tantopere in Tasso admiramur, mutatione vestis facta, aut omitti, aut saltem plurimum minui. In philosophia praeceptores habuit primum Franciscanos homines Urbanam et Paganium, postea Michaelem Vierium, a quo non dialectica modo, metaphyſica et phyſica inſtitutus fuit, sed etiam theologia, quia militare Eccleſiae deliberaverat, quod conſilium poſtea multis de caussis abjecit. Vierius sapiens quidem homo, & multarum rerum peritus tantum amorem Graecorum philosophiae &

Digitized by Google

praesertim Peripateticae in discipulo, qui erat ad disputandum acutus, & ad explicandum uber, excitavit, ut hic in illa una quaſi tabernaculum vitae collocasset, niſi natura, cui omnes paremus, ad poeſin & eloquentiam, omnesque humaniores littera factus praesertim fuisset. Sed quia hae maxime adjuvantur a philosophia, Joannes Antonius non veterum modo, sed et recentiorum decreta noscere voluit, eaque propter mathematicis etiam disciplinis nonnihil operae impendit. Didicit & a Graeco magiſtro Graecas litteras, et quod mireris, biennium versatus eſt in ſtudio juris prudentiae, duce Jo. Baptiſta Ceſſiſio Bergomate, cujus non schola modo, sed & domus Themidis oraculum esse putabatur. Per juris prudentiam non illam forensem, sed eruditam aditum ad Doctoris munus in Gymnaſio Patavino facile ſibi comparare posse sperabat; sed quod optabat obtinuit a philosophia, cujus secundarius, ut appellant, Magiſter an. MDCCXXVII. declaratus eſt. Serius quidem, si hominis ingenium et doctrinam et famam, quam collegerat, editis praesertim Latinis & Italicis carminibus, spectes.

ctes. Tum necesse ei fuit coronam illam lauream, quae teſtimonium esse solet doctrinae, accipere, et habuit a philosophia & medicina, more, ut dicitur, nobilium, postulante, ejusque laudes celebrante Antonio Vallisnerio, qui in eo genere praeter ceteros excellere merito sane putabatur. Est in manibus hominum Latina oratio, quam habuit, cum ad phyſicam tradendam aggrederetur, eaque perelegans et persubtilis adeo judicata eſt, ut etiam adversantem & repugnantem illius disciplinae ſtudio allicere posset. Tam late enim hanc patere et dominari probavit, ut in ipsa cognoscenda maxima ſint momenta ad bene beateque vivendum. Quo vero majorem gloriae fructum perciperet, illam ipsam convertit in Graecum, ſicque invidiam fecit iis, qui minus illum ad hanc rem idoneum esse dictitabant, ut se ipsos, qui sane inferiores erant, magis magisque extollerent. Neque multo post binas alias orationes habuit de Aristotele, quod, ex vetere Gymnaſii instituto, illius philosophi scripta praesertim esset explicaturus. Multis in rebus se acerrimum illius defensorem fore osten-

dit, et dum eos recenset, quibus Peripateticorum ratio non probatur, se non ignarum recentioris philosophiae ostendit. At quamvis ingenue fateretur nonnulla praeclara tum a Galileo, tum a Cartesio, tum a Gaſſendo inventa fuisse, multa tamen in eam sententiam dixisse videtur: *antiquitas, quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat*. Ex quo factum est, ut syntagmate quodam separatim de iis egerit philosophis, qui lib. I. Phyſicorum ab Aristotele memorantur, eorumque decreta (quin potius dicam somnia?) de rerum naturalium principiis breviter, eleganter et dilucide explicaverit. De caeli natura, de vacuo, de loco, de non omnino repudianda Academicorum et Scepticorum in phyſica philosophandi ratione egit aliis orationibus (nam vulgatas ab ipso tantummodo commemorandas esse putamus); verum in luce, in qua nunc versatur phyſica, quodammodo injuriam facere mihi videntur nobilissimae disciplinae non modo ii, qui disputant quae ſit caeli & loci natura, utrum in universo corporeo ſit aliquid inane, sed et

ii, quorum aures ad hujusmodi disputationes patent. Nam ut vinum vetustate coacescit, ſic multae veterum phyſicorum quaeſtiones prorsus evanuisse videntur. Sed venia interdum neceſſitati danda eſt. Munus enim, quod sustinebat Vulpius, poscebat ab ipso, ut illa Ariſtotelia tractaret; & laudem certe in eo meritus est, quod adjunxerit ad doctrinam propriam philosophi, elegantiam verborum, et interdum etiam oratoria ornamenta. Et cum nihil illarum rerum omiserit, quas aut invenerunt, aut excogitarunt posteriores phyſici, ejus scripta multo ampliora judicari debent, quam illa, propter quae haec elaborata fuerunt. Antiquitatis studium obtinuit etiam a Vulpio, ut e Graeca lingua in Latinam converteret, & commentariis explicaret Dialogum Zachariae Scholastici, quo adversus Aristotelem suum ostendit factum a Deo fuisse mundum, hunc regi ipſius numine, et ad illud usque tempus duraturum, quo eidem libuerit statum hujus naturae commutare. Non poterat non confiteri Vulpius se cum magna animi voluptate philosophica tractare. Sed per haec ad immorta-

litatem, quam quaerebat, cujusque erat cupidissimus, aspirare non poterat. Spem, quae eum fruſtrata fuerat docendae juris prudentiae, redintegrassent Academiae Curatores, ſi cum illa disciplina in gratiam redire voluisset. Multa attulit, ut rationem redderet, quare sui ingenii non essent concertationes & spinae juris consultorum, & se cum mansuetioribus muſis rationem omnino habere velle ostendit. Florebat tum maxime non Patavii solum, sed etiam in universa Italia Dominicus Lazzarinius, vir Graecis Latinisque litteris eruditissimus, quarum caussam, dum vixit, ſingulari animi conſtantia defendit adversus eos, qui vitiosam corruptamque & scribendi & docendi consuetudinem invexerant. Tantus vir e vita cessit Patavii IV. Non. Quintil. an. MDCCXXXIV., & ut aliqua ratione damnum, quod ex illius interitu fecit Gymnaſium Patavinum, sarcirent illius Curatores, undique, magnis propoſitis praemiis, conquiſierunt hominem, qui in illius locum merito aut succederet, aut successisse videretur. Mirari id se nonnulli responderunt, quoniam domi habebant, qui

ſe fere cum Lazzarinio aequare posset, & dum Vulpium nominabant, pleniore ore ejus ſcripta tum Latina, tum Italica, quorum plurima in vulgus ediderat, laudabant. Prorsus ex his testimoniis non videbatur posse esse dubium, quin Vulpius cathedram, quam Lazzarinius tenuerat, magna cum Gymnaſii gloria esset occupaturus; quapropter honorificentissimo Veneti Senatus decreto, cujus verba infra exscribere minime pigebit (1), III. Non. Maii an. MDCCXXXVI.

(1) „ Chiamato all'eterno ripoſo il Profeſſore Dot„ tor Domenico Lazzarini, che ha laſciato di ſe ſteſſo „ degna e felice memoria, reſta vacante la cattedra di „ Umanità Greca e Latina, che con piena e giuſta lode „ egli ſoſteneva. Esteſe dal zelo de' Riformatori noſtri „ in più parti le diligenze loro affine di provvederla di „ ſoggetto, che corriſponda alla ſua importanaa, cono„ ſcono opportuno l' incontro di appoggiarla al Profeſſor „ Gio. Antonio Volpi, che nella lettura di filoſofia ordi„ naria in ſecondo luogo con decoro e vantaggio dello „ Studio fin quì eſercitata ha reſo celebre il di lui nome, „ e con le dotte ſtampe prodotte alla luce autentica la „ nobile erudizione che lo adorna, e la rarità del ta„ lento, che poſſiede &c. „

humaniorum litterarum magister renuntiatus est. Tum se beatum putavit, quod plane ingenio suo satisfacere posset, et cum memoria repeteret magnos illos viros Bonamicium, Robortellium, Sigonium, Riccobonium, Ferrarium et Lazzarinium ipsum, qui idem munus sustinendo tantum ornamenti addiderunt Gymnaſio Patavino, ad illa ſtudia recolenda, quibus a pueritia in primis deditus fuit, magis magisque inflammabatur. Egit caussam humaniorum litterarum in ea, quam ineunte anno MDCCXXXVII. dixit, oratione, quaque creditae ſibi ſcholae fores triennio ferme clausas aperuit. Hanc tres aliae subsecutae sunt, quae in eodem ferme argumento versantur. Nam cum renovaretur a multis ſive imperitis, ſive malevolis, ſive ignavis vetus querela, non esse in iis cognoscendis disciplinis, quae dicendi rationem tradunt, diutius immorandum, sed potius eas abjici oportere, non solum quod ad ſtudium veritatis nihil conferant, verum etiam quod bonis mentibus tenebras, bonisque moribus labem inferant, horum ſic confutandas rationes putavit, ut illis nihil levius, nihil

a recta ratione magis alienum esse probaret. Omnino perpetuum bellum ſibi esse voluit Vulpius cum agrestibus illis viris; qui non intelligunt quanta utilitas sit in arte faciendae orationis; qua vel obscuriora illuminantur, austeriora suavitate quadam condiuntur, nuda veſtiuntur, severiora exhilarantur, molliuntur, omnesque non alliciuntur modo; ſed etiam coguntur ad noscendam atque amplectendam veritatem. Ut exempla abundarent, et ut gratus erga eos cognosceretur; per quos profecisset, veteres quosdam scriptores aut illuſtrandos, aut etiam edendos suscepit. Typographium enim domi suae inſtituit, cui praeerat Josephus Cominius, qui sumptibus & diligentia & eruditione Vulpii illud consecutus est, ut ejus nomen universa in Europa celebraretur, et quae ipse edebat ab omnibus ſtudioſissime conquirerentur: Nam non ſine corollario Praefationum tanti viri prodibant libri, et ex una, qua omnem fere T. Lucretii Cari seu Epicuri philosophiam perſecutus est, & veluti in tabula bene picta exposuit poetae nobilissimi virtutes, & quid in ejus lectione caveri, quid contra

seligi ediscique oporteret, conjici poteſt quam doctus aeſtimator, et ſapiens rerum judex eſſet. Longum porro esset, ſi recensere vellem omnes Latinos scriptores per Cominium editos, & quid aut conſilii, aut operis ad illorum exornandas editiones contulerit Vulpius. Qui quidem cum non solum admiraretur veteres illos recte scribendi magiſtros, sed etiam scriptores, qui felici ausu, postquam Latinae litterae ex diuturna & crudeli servitute in libertatem vindicatae fuerunt, eorum elegantiam, vim & veneres exprimere conati fuerant, horum quoque bene multos, sed praesertim poetas Cominianis typis imprimendos curavit. Hinc occaſionem sumpſit declarandi vitas Actii Synceri Sannazarii, qui postquam de partu Virginis Virgilianis modis cecinit, Musas sacros recessus, sylvasque deserere, & littora incolere coegit; & Andreae Naugerii, qui fuit non unus elegiacus poeta e multis, sed potius inter multos prope ſingularis, denique hiſtoricus, et publicarum rerum peritissimus. Quaedam etiam tetigit de vita gentilis sui Jo. Antonii Vulpii Patricii et Episcopi No-

vocomenſis, cujus carmina in lucem edita perplacuere omnibus, sed praesertim satyrae duae, quas ad Venuſinam lucernam illum elaborasse facile judicabis. Nec minus meritus eſt Vulpius, editis elegantissime Dantis, Petrarchae, Politiani, Alamannii, Oricellarii, aliorumque carminibus, de Italica poeſi. Dantem etiam illustravit, cum & verba obsoleta & sensus illius obscuros explicasset, et quae ad historiam atque mythologiam pertinent, breviter declarasset. Haec quidem omnia plurimum laudanda sunt; sed illa majora & admirabiliora, quae contulit ad explanandos illos amatorios poetas, qui ceteros omnes longe multumque superasse videntur, Catullum, Tibullum atque Propertium. Vel a prima adolescentia brevia quaedam scholia in eosdem poetas Vulpius ediderat in vulgus, quae ita accepta fuerunt, ut licet multa praeclara haberent, ubertas tamen, copia, varietas in iis desideraretur. Praeclare enim Plato (1): *univer-*

(1) In Alcibiade poſteriori.

Digitized by Google

ſa poetica eſt natura ſua aenigmatis involutà; ut non ſit vulgaris hominis notitiam ejus habére. Quae juvenis fidenter nimium emiſit, grandior factus improbavit, quapropter in animum induxit veterem telam retexere, ac novam ordiri. Quidquid igitur longo intervallo ex quotidiana optimorum auctorum conſuetudine haurire et contrahere potuit; utilioribus & uberioribus commentariis inſtruendis totum ſepoſuit. Ante omnia dedit operam, ut verba poetarum quam emendatiſſima proferret, germanasque lectiones ſeligeret, ac idoneis argumentis confirmaret, deinde ut nihil non explicatum relinqueret, ſecutus maxime exemplum Dionyſii Lambinii, qui inter omnes interpretes unus excellere videtur. Quanquam nihil earum rerum omiſerit, quae ceteri ante eum ſcriptores feliciter in iis explicandis poetis litteris mandaverant, in eo tamen vim doctrinae ſuae praeſertim conſumpſit, ut ipſe ab aliis potius eligendus, quam aliorum bonus elector exiſtimaretur. Quapropter multa nova, et prorſus ſua protulit, ſicque univerſum opus contexuit, ut peracutus et aequus in aliorum cogitatis

perpendendis, modestus in suis proponendis, et omni poetica doctrina, veterum hiſtoria, moribus, ritibus, lingua, omninoque Graecis Latinisque litteris eruditissimus jure ac merito judicaretur. Anno MDCCXXXVII. separatim edidit commentaria in Catullum, quae, ſiquid judico, praeferenda ceteris sunt et propter lautam eruditionis supellectilem, et propter difficultatem rei, cum ſrequentiores sint in Catullo nodi, qui docto explicatore indigent. Opus dedicavit Duumviris Veronae, quod haec civitas, ut ajebat Ovidius, *non minus Catullo, quam Mantua Virgilio, gaudeat*. Laus Vulpii, quae gratissima omnium civium memoria inclusa erat, auctoritate etiam publica teſtata eſt. Accepit enim a Duumviris litteras honorificentiſſimis verbis exaratas, & donum aurei numismatis maximi moduli, cujus in antica parte extat Vulpii ipſius effigies ad vivum expressa, in poſtica Veronae ſtemma cum quercea corona atque inscriptione: GAUDET VERONA CATULLO. Vidi hoc ipsum apud Sibilliatum, ad cujus manus forte fortuna pervenit, ne tanti honoris memoria interiret, ut multa alia culpa

haeredum interierunt a Vulpio vel collecta, vel scripta, quae ejus in omni re elegantiam declarabant. Quanquam ipse, edito Catullo, fidem suam obligaverit se propediem commentaria in Tibullum et Propertium editurum, attamen nonniſi multis annis poſt id quod promiſerat solvit, quod impediretur difficultate rei, valetudine, quam continuae vigiliae & melancholia turbaverant, & scholae occupationibus. Usque eo difficilis et moroſus erat, ut satis se muneri non fecisse arbitraretur, niſi diu conſiderata, & multo ante meditata, quaeque reconditis et interioribus in litteris versantur, attulisset, irridebatque eos, qui magiſtri alicujus loquacitatem ſine usu, & ex scholis cantilenam quamdam requirebant. Docebat, delectabat, permovebat etiam interdum auditorum animos; quapropter vel ab homine alienarum laudum parciſſimo Jacobo Facciolato de eo praedicatum eſt: *semper eruditione atque elegantia tanta* (docuisse), *quanta loci dignitas poscit*. Huic praeconio illud addemus, fortunatiſſimum nos putare Gymnaſium Patavinum, quod hac nostra aetate (non lubet antiquiores

nominare) tres habuerit humaniorum litterarum magiſtros Lazzarinium, Vulpium, & qui huic ſuccessit, Sibilliatum, de cujus amicitia, dum vivam, gloriabor, qui pares omnibus magnis viris, quos exterae nationes nimium arroganter interdum jactant, & multis etiam superiores existimari possunt. Nos quidem nonnullis praestantiam in phyſicis & mathematicis rebus concedimus, quamvis nec nobis deſint magni & phyſici & mathematici, & gloriemur harum disciplinarum aut inventoribus, aut inſtauratoribus; sed quae ad humaniores litteras pertinent, adeo sunt propria Italorum, ut multa licet habeant communia cum multis, nulla tamen natio cum iis et numero & praeſtantia poetarum & Latinarum rerum notitia, & Latine scribendi elegantia et artificio, quod in venustate, pulchritudine & convenientia partium illarum rerum conſiſtit, quas aut oculis subjicimus, aut auribus commendamus, contendere possit. Sed ut, unde Italiae amor nos abripuit, revertamur, non necesse putamus pluribus verbis exponere quantam doctrinae et eruditionis vim ad discipulos erudiendos, et scho-

lae dignitatem tuendam contulerit Vulpius; cum terantur omnium fere manibus, quae ipse vulgavit de utilitate poetices, de tragoedia et de satyra, ex quibus de universa ejus docendi ratione judicari poteſt. Noluit autem anguſtis scholae parietibus contineri, quae magno labore ex multis libris, & praesertim ex Ariſtotele collegerat, et diuturna meditatione ac studio per se animadverterat de poeſi in univerſum, et de variis ejus generibus, quod hanc artem in primis amaret, & ex ea maximos fructus tum ad jucunditatem, tum ad utilitatem percipi posse intelligeret. Hunc suum amorem, seu potius ardorem hoc eleganti epigrammate ſignificavit.

Ussit me puerum doctarum forma Sororum;
Idem ego (fata jubent) urar amore ſenex;
Sic poterunt juvenes ad noſtrum dicere buſtum:
Quam tibi vita fuit, tam tibi longus amor.

Mirari vero debemus non modo in florenti aetate, sed etiam in senecta Vulpium tam faciles habuisse Musas, ut ejus carmina

omnia, sed praesertim Latina, immortalitati commendari mereantur. Quae subito calore juvenis effudit, quanquam ex iis duxerit commendationem ineuntis aetatis, acri deinde lima perpolivit, et ad normam elegantissimorum scriptorum severe exegit. In elegia, quod genus poesis praesertim adamavit, Tibulli veneres, candorem, incorruptamque Latinitatem potissimum secutus est, neque idcirco Propertii nervos, eruditionem, peregrinos colores, aut Ovidii copiam ingeniumque eſt aspernatus, quemadmodum et in ceteris carminibus optimum quemque Latinum poetam ſibi ad imitandum propoſuit. Plura etiam sumpſit ex Graecis scriptoribus, neque verebatur crimen arrogantiae, dum discipulis suis proponebat suum exemplum ad imitandum, atque fontes, unde tantam elegantiae copiam hauserat, atque etiam itinera ipsa demonſtrabat. Quod Catullus de malo poeta, nos de bono pronuntiabimus;

. . . . neque idem unquam
Aeque eſt beatus ac poema quum ſcribit,
Tam gaudet in se tamque se ipse miratur.

Non enim ſevere judicandum eſt de homine, ac praeſertim de poeta, qui plaudet ſibi, quod ſanos et grandes foetus ediderit. *Quam gaudebat*, inquit Cicero, *bello ſuo Punico Naevius, quam Truculento Plautus, quam Pſeudolo?* Vix ſane invenitur, qui, magnis toleratis laboribus, non quaſi mercedem eorum deſideret gloriam, neque gaudeat ſuo, et intelligentium virorum judicio, praeſertim ſi ejus ſcripta incurrant in vocnlas aut malevolorum, aut invidorum. Videbatur omnino civitas Patavina eſſe in duas partes diviſa, quarum una palmam, ſi quaerebatur quis maxime excelleret in humanioribus litteris, Facciolato dabat, altera Vulpio. Uterque ſane magnis dignus laudibus erat. Sed ut erant natura diſſimiles, ita differebant ingenio & ſtudiis, quamvis eamdem artem excolerent; nec dubito quin hoc invidioſum futurum ſit Facciolato, quod ea, quae ſcriptis mandavit Vulpius, non ſatis laudaſſe videatur. Erant enim in eo reconditae & interiores litterae, optime Graece ſciebat, erat in omni judicio et in omni ſcriptione elegantiſſimus, ut vel Etruſci ipſi ſolerent

ei

ei ſuae linguae ſubtilitatem elegantiamque concedere; poeſi adeo valebat, ut primas in Latina, ſecundas in Italica ei facile concedam; probabilis erat orator; recte judicabat de antiquitatis monumentis, ut ex ejus divinatione in Diptychum Quirinianum conjici poteſt; adeo vero a philoſophia, a jure civili & divino, ab hiſtoria inſtructus, ut lautam inde ſupellectilem ad exornandam artem, quam profitebatur, et munus, quod ſuſtinebat, transferre potuerit. Non eſt vero credibile quantas vigilias et labores, qui nec aetatis flexu conſtiterunt, ad optimas ſibi comparandas artes impenderit. Hinc ne minima quidem tempora, quae vel homines induſtrii levando animo concedere ſolent, perire ſinebat, et ſolitudine adeo oblectabatur, ut nihil ea dulcius, nihil ad alendam ſapientiam magis idoneum esse affirmaret. Ejus laudes aliquando carmine Italico in doctorum hominum conventu celebravit, ſed quia veritus poſtea eſt, ne quis a *Polinnia* (ſic enim carmen ipſum inſcripſit) ſe laeſum esse arbitraretur, quodque a quopiam lae-

dendo natura et doctrina abhorruit semper, ejus exemplaria emissa in vulgus ad se se revocavit, et ne ulla exiſterent, quantum fieri potuit, cavit. Nolo tamen quis credat solitudinis amorem omnem ei abſtulisse fructum voluptatum, quae ex hominum societate, ad quam nati sumus, capiuntur. Frequentabat Academias, et illam praesertim, quae *Recuperatorum* dicitur, colebat praesentium & absentium amicitias, atque intimos Patavii habuit Morgagnium, Dandinium, Polenium, Camposampierium, Alexium, Aldirghettium, Burgedegatium, Gennarium, Sertorium atque Joan. Antonium Orsatos, quorum avi eruditissimi sane viri vitam Italice declaravit; jocis hilarulis condiebat familiares sermones; erat facillimus atque humanissimus erga omnes, et in primis erga discipulos suos ceterosque, qui colebant mansuetiores Musas, quam benignitatem mihi quoque homunculo experiri contigit; non omnino abhorrebat a feminarum consuetudine, quamvis hanc non requireret; laudavit illas interdum, interdum carpsit earum levitates

atque artificia, et nimis fortasse severe a doctrinarum ſtudiis illas removendas eſſe Italica oratione probavit. Sed haec severitas habuit aliquid excusationis, cum debuerit tempori et argumento inservire, cujus ratio propoſita illi fuerat a Patavina Recuperatorum Academia. Captus et dulcedine matrimonii fuit, et gratias Deo agebat, quod talem ſibi concesserit uxorem, in quam tanquam in speculum intueri possent omnes nuptae mulieres, adeo excellebat cura et providentia rei domeſticae, caſtimonia, robore animi atque conſtantia in adverſis rebus, maxime vero erga virum amore, cujus gravem et omnium incommodissimam valetudinem (nam atra bilis interdum in eo mentem turbavit) fortiter pertulit, omnique officio ac miniſterio levavit. Tanti viri infortunium non uxor modo miserabatur, sed et omnes ii, in quibus humanitatis sensus et litterarum amor erat, ex quo fortasse factum eſt, ut Venetus Senatus, poſtquam eum laxavit scholae occupationibus, omnino exsolverit, scripto in hanc rem IX. Kal. Feb. an. MDCCLX. honorificentiſſimo decre-

to (1). Cum vero reſidebat melancholia, redibat Vulpius ad priſtina ſtudia ſua, et illud molie-

(1) *En hujus exemplar.*

„ Dopo ſoſtenute per il lungo corso di anni trentadue: „ prima la cattedra di filoſofia ordinaria, indi quella di „ umanità Greca e Latina, carico d' anni, ed afflitto „ da gravi indiſpoſizioni di ſalute, che gli vietano affat- „ to un più lungo eſercizio, ſi raſſegna il pubblico Pro- „ feſſore Giannantonio Volpi per forza invincibile dell'at- „ tuale ſua coſtituzione ad implorare la giubilazione, e „ vi compariſce non ſolo ſcortato dal merito dell' eſercì- „ tate aſſidue applicazioni e fatiche a profitto degli ſtu- „ denti e a decoro dello Studio di Padova, ma altresì da „ quello delle dotte ſtampe uscite dalla virtù sua, che lo „ reſero celebre anche appresso le ſtraniere nazioni; e dal- „ la iſtituita stamperia Cominiana, che tanto vantaggio „ e luſtro apportò a un tal genere di commercio. Tutti „ queſti riflessi perſuadendo il Senato a concorrere nel „ ſentimento de' Riformatori noſtri dello Studio di Pado- „ va, l' anderà Parte, che il Pubblico Profeſſore Gian- „ nantonio Volpi predetto ſia giubilato coll' aſſegnamento „ di florini ſeicento annuale, e continui il riputato Pro- „ feſſore in ruolo col titolo di *Emeritus*, e colle prero- „ gative ed emolumenti relativi, onde riceva un giuſto „ teſtimonio della pubblica gratitudine e retribuzione al „ lungo e benemerito da lui preſtato ſervizio. *Felices il- las Reſpublicas esse dicemus, apud quas tanto in honore sunt litterae, & qui eas glorioſe excoluerunt.*

batur praesertim, ut magnam copiam carminum Latinorum atque Italorum, quae habebat in scriniis, perpoliret. Genus enim quoddam acuminis, quod habuit a natura, & arte limaverat, ne in senecta quidem ipsum deseruit. Extremo tempore ad ceteras miserias accessit orbitas oculorum, quam patientiſſime, ut Chriſtianum philosophum decet, ferebat, quamque lenire solebat aut religiosis precibus, aut erudito anagnosta. Profecto ſi alia argumenta deessent ejus pietatis in Deum, satis hanc comprobassent ejus patientia & fortitudo in adversis rebus, conſtantia in bonis, modeſtia in maxima celebritate famae, erga egenos caritas, et erga omnes humanitas. Iis, quibus spectaculum erant illius virtutes & doctrina, non potuit non esse luctuosa ejusdem mors, quam attulit vehemens apoplexis nocte ante diem VIII. Kal. Nov. an. MDCCLXVI. Sepultus eſt in Aede S. Luciae in monumento, quod ſibi et uxori cariſſimae fecerat cum hac inscriptione.

Η. ΣΑΡΞ . ΗΜΩΝ

ΚΑΤΑΣΚΗΝΩΣΕΙ . ΕΠ' . ΕΛΠΙΔΙ

JOANNES . ANTONIUS . VULPIUS

PHILOSOPHUS . PRIMUM . DEINDE

RHETOR

IN . GYMNASIO . PATAVINO

V. F.

SIBI . ET . MARGARITAE . MOSCHINAE

UXORI . AMANTISSIMAE B. M.

A. C. CIƆIƆCCXLVIII.

H. M. H. N. S.

In eadem Aede aliud suis sepulcrum statui voluit, quod factum ab ipso eſt sanctius & elegantius hoc tetraſticho.

Nos tenet alta quies placidoque ſimillima ſomno,
Quae sumus ignavis corpora visa mori.
Hic erimus donec reſerato Chriſtus Olympo
Aeterna jubeat nos vigilare die. (1)

(1) Qui se Petrarchae imitatorem eſſe gloriabatur reſpexit fortaſse illos versus:

Dormito hai, bella Donna, un breve sonno;
Or sei svegliata infra gli spirti eletti,
Ove nel suo Fattor l' alma s' interna.

Vulpius non tam uxore, licet sterili, (1), quam fratribus fortunatus fuit. Erat enim Cajetanus Presbyter sanctissimis moribus, idemque satis doctus et diligentissimus in omni, quod suscipiebat, negotio. Ejus vero diligentiae in primis referre debemus acceptam emendationem librorum per Cominium impressorum, sanctitati editionem multorum operum, quae ad retinendos bonos mores, revocandosque antiquos pertinent. Huic aetate proximus erat Josephus Roccus, qui cum Societati Jesu nomen dedisset, veteris Latii explicationibus, aliisque scriptis, gestis in aula Romana muneribus (a Benedicto enim XIV. factus fuit Episcoporum, ut vocant, examinator, et S. Indicis Congregationis Consultor) et quod potius eſt, vitae sanctimonia inclaruit. Jo. Baptista demum, quo diu

(1) *Sic ipse scriptum reliquit*. Margarita Moschini Veroneſe donna di tutte quell' ottime desiderabili qualità adorna, che possono rendere felice un marito della fecondità in fuori; che per alto ed occulto consiglio, ma sempre giusto ed adorabile, Iddio Signore non ci ha voluto concedere. *Haec ipſa paullo poſt virum mortem obivit.*

usus sectore fuit Morgagnius in anatome facienda, tantum profecisse in nobilissima disciplina judicatus eſt, ut illius secundarius Magister, eodem vivo Morgagnio, renuntiatus fuerit. Quin igitur ex ipsa stirpe Sapientiae genitos fuisse Vulpios fratres fatebimur, neque illius oscitantis atque dormientis, sed quae semper molitur aliquid, aliquid semper agit, omniaque refert ad hominum utilitatem?

OPERA EDITA.

Catulli, Tibulli et Propercii carmina ex recensione Jo. Antonii Vulpii cum ejusdem observationibus. Patavii apud Joseph Corona 1710. 8, maj.

Vita del Cav. Sertorio Orsati. *Exstat in Parte II. libri, cui titulus:* Marmi eruditi ec. Patavii apud Cominum 1719.

Discorso Accademico, che le donne non debbano ammettersi allo studio delle lettere. In Padova presso Giuseppe Comino 1723. 4.

Opuscula varia ligata et soluta oratione ſcripta. *Ibidem* 1725. 4.

Orationes duae, scilicet de caeli natura et substantia, et Academicorum et Scepticorum philosophiae rationem non esse in physica omnino repudiandam *Ib.* 1732. 4.

Opere varie Latine e Italiane. *Ib.* 1735. 4.

Catullus cum Jo. Antonii Vulpii commentariis. *Ib.* 1737. 4.

Oratio habita in Gymnasio Patavino, cum a tractanda philosophia ad politiorem humanitatem translatus esset. *Ib.* 1727. 4.

Acroasis de Tragoedia. *Ib.* 1740 4.

Rime: edizione seconda accresciuta ed illustrata. *Ib.* 1741. 8.

Carmina: editio II. aucta. *Ib.* 1742. 8.

De utilitate poetices. *Ib.* 1743. 8.

De satyra. *Ib.* 1744. 8.

Opuscula philosophica. *Ib.* 1744. 8.

Tibullus cum Jo. Antonii Vulpii Commentario. *Ib.* 1749. 4.

Divinatio in diptychum olim Quirinianum, nunc Vaticanum. *Ib.* 1750. 8.

Oratio pro facultate poetica. *Ib.* 1750. 8.

Polinnia, ovvero i frutti della solitudine, Stanze. *Ib.* 1751. 8.

Sextus Aurelius Propertius ... et in eum Jo. Antonii Vulpii Animadversiones perpetuae. *Ib.* 1750. 4.

Orazione in lode di S. E. Alessandro Zeno Procuratore di S. Marco per merito. Venezia 1746. 4.

Vita Andreae Naugerii. *Extat in operibus ejusdem editis a Cominio* 1718. in 4.

Vita Jacobi Sannazarii. *Extat inter carmina ejusdem typis impressa a Cominio* 1719. *in* 4. *Edita iterum fuit Amstelodami cum iisdem carminibus variorum notis illustratis* 1728.

Recenseri possent inter Vulpii opera ejus notae in Dantem, in Zachariam Scholasticum, epistolae, praefationes, et alia hujusmodi plura, quibus ornare ipse solitus erat libros a Cominio suo impressos.

Multa et ipse inedita reliquit, et praesertim carmina tum Italica, tum Latina, quae, nescio quo misero literarum fato, periisse creduntur. Extat tamen apud eruditissimum virum Josephum Gennarium, cui maxime acceptum referimus quidquid de Vulpio memoriae prodidimus,

Lettura ſopra il Sonetto del Petrarca = Glorioſa Colonna &c. = con altre coſe dette nell' Accademia de' Ricovrati.

ANGELUS FABRONIUS

FRANCISCO FONTANAE SUO

S. P. D.

Multa tu de Julinio (1), *pauca ego de Orſato, ne tecum contendere velle videar, qui nulli parcendum eſſe diligentiae cenſuiſti, ut omni ex parte cognita eſſet virtus et doctrina hominis, qui in patriis monumentis colligendis, exponendiſque priſcorum factis longam vitam conſumpſit. Utraque laude floruit et Orſatus, nec facile inveneris homines, inter quos, quamvis aetate diſpares, tanta ſimilitudo fuerit ſtudiorum, morum atque virtutum. Uterque etiam dramaticam poeſin excoluit; verum quia omni tempore non multi fuere, qui ab ea nomen habuerint, eorum dramatica ſcri-*

(1) Georgii Julinii vita a Fontana homine Bermabita et in Mediolanensi Collegio, quod *Nobilium* dicitur, Graecarum Latinarumque litterarum magistro scripta claudit hoc volumen.

pta fortasse obscurabit oblivio. Sed quae ad illustrandam patriae historiam litteris mandarunt, nec oblivione eorum qui sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterunt, et beatas illas esse urbes puto, quibus contigit tales habere cives, qui totos se dediderunt patriae, et in ea omnia sua studia posuerunt, et quasi consecrarunt. Quod siqui eorum, dum in operoso ac molesto labore versabantur tot obscura ac recondita investigandi, tot barbara exscribendi, imitati volucres, quas dum fingunt et construunt nidos, levandi laboris sui caussa, videmus passim ac libere solutas opere volitare, a poesi oblectationem aliquam petierunt, non erimus neque acerbi neque severi in judicando de illorum poeticis scriptis, cum et ii levissimam delectationem gravissimae utilitati nunquam anteposuerint. Facile quidem omnes perpetior ac perfero, dum aliquid afferant, quod mihi non displiceat; illos vero perridiculos esse arbitror, qui cum se ipsos prospexerint, totosque tentaverint, nec sint ad ullum litterarum genus idonei, insolentius atque audacius poetarum choro se immiscent, et obtundunt aures, aut chartas maculant insulsissimis carminibus. Hos non minus contumeliose dimittendos censeo, quam Hannibal Peripateticum

illum Phormionem de re militari, et de omni imperatoris officio loquaciter et inepte disserentem. Quod horum hominum genere cumulata est eruditissima Italorum natio, vellem ut lex ferretur de iis ab omni litterario coetu rejiciendis, neque locus daretur in Academiis, quae apud nos frequentes sunt, nisi iis, qui suum munus, si non perfecte, saltem laudabiliter (quanquam mediocritas in poesi perpaucis honori fuerit) praestare possunt. Sed ut ad Orsatum et Julinium redeam, quibus propositum in primis fuit monumenta temporum, hominum, locorum gestarumque rerum mandare litteris, et otium in scribenda patria historia consumere, ut ex ea quae pertinent ad usum civium, mores hominum, ad rationem rei publicae, ad jura, ad leges, ad vicissitudines imperiorum ac fortunae varietates possemus cognoscere, magnum et utile opus illos effecisse arbitrabimur, pro quo iis gratia debetur. Mihi ad remunerandum tantum beneficium nihil suppetit praeter voluntatem. Tu vero, quod praestes doctrina et scribendi elegantia, adeo omnia, quae spectant ad Julinium tuum persecutus es, ut neque a benevolentiori, neque a studiosiori illi debitum historiae munus persolvi potuerit. Nec sane dubito quin is, qui conferet com-

Digitized by Google

mentarium tuum, quod omni verborum et sententiarum dote locupletasti atque ornasti, cum commentariolo meo de Orsato plane incomitato atque incompto, vel me ipsum reprehendat, vel suspicetur minus illum ingenii et scriptorum gloria floruisse. Quapropter illud postulandum putamus ab omnibus, qui haec in manus sument, ut majus quiddam de Orsato, quam quantum a nobis exprimetur, judicent, quod non totam ejus imaginem pingere, sed tantummodo adumbrare conati fuerimus. Certe uterque, ut exposui antea, cum studio atque ingenio et doctrina, tum in patriam pietate praestantes fuere, et cum paucis omnino comparandi. Vale.

Pisis Kal. Maii MDCCLXXXVII.

Digitized by Google

SERTORIUS ORSATUS

Orsatorum familia apud Patavinos magna vel ab antiquissimis temporibus gloria fuit, quod illa, siqua alia, tulerit viros caritate in patriam, studio in litteras, ceterisque ornamentis generis, honorum, integritatis atque industriae clarissimos. Hujus familiae laudes plurimum sane auxit Sertorius Orsatus, qui cum iis artibus, quae ingenium commendant, decus omne virtutis junxisset, effecit, ut in civitate sua princeps haberetur. Is natus est Patavii Kal. Februarii an. MDCXVII. patre, cui a familia Orsati nomen erat, matre Elisabetha Buzzacarinia, et fortunatissimum ejus natale fuit, quod tum pater, qui erat illustris honoribus, ingenio, gratia et omni christianae virtutis genere, copiosus plane et locuples factus est ob acceptam a Sertorio Orsato gentili suo hereditatem. Hic filium sic inſtituebat, ut ipse intelligeret nobilitatem et divitias idcirco a

Digitized by Google

Deo datas, ut aliis prosimus, utque illae incitamento sint non ad voluptates ac desidiam, sed ad virtutem atque industriam. Et profecto quocumque non modo mens, sed etiam oculi adolescentuli, in quo summa spes, summa ingenii indoles erat, inciderent, nil in paterna domo videbat nisi exempla virtutum. Natura hominem inchoat, educatio perficit, et ab utriusque laude fuit Sertorius felicissimus. In litteris et humanitate perdiſcenda, ut moris est, primam aetatem consumpsit; deinde, bene positis hisce doctrinarum omnium fundamentis, ad philosophiam se applicavit, et cum acciperet an. MDCXXXV. illa inſignia philosophica, libellum vulgavit, quem inscripſit *Sertum philosophicum*, ut argumento esset se non coronam habere honoris caussa, ſed pro merito concertationis atque doctrinae. Triennio post, rei familiari operam dare a patre coactus, in matrimonium duxit Irenem Mantuanam Benavideſiam, quae nuptiae plenae dignitatis, plenae concordiae fuerunt. Sed res domeſticae non adeo diſtinebant Sertorium, quin plurimum temporis mansuetioribus muſis concederet. Has semper ſtu-

ſtudioſissime coluit, et quod earum tanquam antiſtites venerabatur Graecos atque Latinos, horum non modo scripta legebat, sed et cetera omnia monumenta, quae ad nos ab illis pervenerunt, magnopere conquirebat. Ea propter ſi quis ad eum detulisset antiquum lapidem, hunc tanquam religiosum donum osculabatur, inque nobiliori aedium parte collocabat; et oscitantem & dormitantem sapientiam delicatiorum otio concedens, agros ipse peragrabat, parietinas, et omne genus ruderum inveſtigabat, seque beatum putabat, quoties ex iis aliquid prompſiſſet, quod se et alios erudiret. Cum jam lautam inscriptionum, aliorumque hujusmodi Romanorum monumentorum supellectilem ſibi comparasset, ne ad domus ornamentum illam tantummodo collegisse videretur, edidit primo quae ad patriam pertinebant, mox alia aliarum urbium, ac demum Commentarium *de notis Romanorum* emiſit, quo maxime declaravit suam antiquarum rerum peritiam. Nemo ignorat quam saepe non modo in lapidibus et nummis, sed etiam in scriptis veterum occurrant aut ſingulares aut plures

litterae, quae notae sunt verborum, nec ſemper consentire homines in iis interpretandis. Collegit illas notas Sertorius, et litterarum ordine disposuit; ſingulas vero ſic interpretatus est non ut divinus, sed ut conjector acutus, qui eas rationes reddit, quae consentaneae sunt linguae, moribus, & ritibus Romanorum, et qui ex comparatione plurium inscriptionum, et ex iis, quae scripta sunt, quod proposuit, efficit. Res sane habebat multum difficultatis et laboris, quod tenenda erat omnis antiquitas, et acuenda mens ad occultissima perspicienda. Nihilo tamen minus ejusmodi opus confecit Sertorius, quod non solum novitate et copia rerum, sed etiam utilitate maxime celebratum fuit, quia per illud multarum rerum quaſi adumbratas intelligentias concipere possumus. Ea propter qui marmora Oxonienſia illuſtranda susceperunt, ne quid deeſſet explicationi eorum, et enodationi inscriptionum, epitomen ejusdem fecerunt, et cum marmoribus ipſis an. MDCLXXVI. ediderunt. Edidit & integrum Joannes Georgius Graevius in vol. XI. *Thesauri antiquitatum Romanarum*, et poſt-

quam expoſuit mentem ſuam de praeſtantia ipſius operis, pauca quaedam notavit, in quibus Sertorius erraſſe videtur. Eſt ne quiſquam tanta inflatus ſuperbia, ut ſibi ſe ſcire omnia perſuaserit, quae ſpectant ad religionem, ad ſacerdotalia munera, ad dignitates urbanas, provinciales, militares, ad legionum, alarum cohortiumque nomina, ad militum patrias, ſtipendia, dona, miſſiones, ad libertorum et ſervorum officia & operas, ad Imperatorum geſta ac liberalitates, ad ludorum et ſpectaculorum varietates, ad collegiorum, municipiorum, coloniarum, provinciarumque erga patronos ac praeſides pietatem, ad innumeros coloniarum, municipiorumque ipſorum magiſtratus, ad funera, ad ſepulcra, ad morientium vota, ad ſuperſtitum in mortuos caritatem, atque ad alia multa ſacra, profana, publica privataque populi terrarum domini?

Multa retro rerum jacet, atque ambagibus aevi
Obtegitur denſa caligine merſa vetuſtas.

Haec animadvertere libuit non ut Orſatum a Graevii reprehenſionibus defenderem (per-

pauca enim sunt quae ipse notavit) sed ut removerem ab ipso invidiam, quam illi conflare ſtuduit vir, cujus nomen & honos inveteravit et universae Italiae, & hominum famae ac sermonibus. Is est Scipio Maffeius, qui, quoties ei se se occaſio obtulit carpendi Orsatum ſive jure ſive injuria, hanc minime praetermiſit, quaſi ipse solus explicator ſiglarum, atque inventor veritatis in interpretandis veteribus monumentis extitisset. Quod egerit cum ipso austere & ſtoice merito reprehensus est a multis, extititque Jo. Dominicus Polcastrus, qui doctam et eruditam apologiam pro cive & propinquo an. MDCCLII. Patavii edidit, ex qua judicare quilibet facile potest raro Maffejum verum accusatorem fuisse, semper invidum. Ceterum Sertorio minime defuerunt inſignes praedicatores laudum illius, et ipse Graevius cum inscriptiones veteres a Iano Grutero collectas iterum an. MDCCVII. Amstelodami edidisset, plurima ex illius libro, quem inscripſit *Monumenta Patavina*, quemque supra commemoravimus, sumpſit, ut aut emendaret, aut explicaret quae Gruterus suis attulerat,

Quando illa *monumenta* Sertorius emiſit propoſuerat jam ſibi illustrare nomen populi Patavini, dum laudem illuſtrabat ſuam; quocirca non modo diligentissime conquiſivit omnia vetera monumenta, quae urbem antiquissimam ornabant, et ad eam quomodocumque pertinebant, sed et quidquid conducere poterat ad contexendam hiſtoriam patriae, quae tot praevaluit opibus, quae tot paſſa est viciſſitudines, quae tot factionum principibus paruit, quae tot viris illustribus floruit, adeo ut quanto plus rerum, tanto plus cupiditatis esset. Magni operis primam partem, quae incipit ab urbe condita deſinitque in annum aerae Chriſtianae MCLXXIII. vulgavit Sertorius Patavii an. MDCLXXVIII., secundam partem, quae Eccellinorum maxime hiſtoriam usque ad an. MCCXXXIX. continet, non plane perfectam, cetera inchoata ac rudia reliquit. Chronologiam eorum, qui rexere Patavium (haec emanavit in vulgus an. MDCLXVI.) partem et ipsam huiusce operis dixeris, et ex ea quoque conjicies, quam diligens esset Orsatus inveſtigator earum rerum, quas plurium saecu-

lorum barbaries quaſi velis quibusdam obtendisse videbatur. Ipse tamen maxime famam quaesiisse videtur ex Romanarum rerum et inscriptionum notitia, et unum atque alterum volumen, quae inscribuntur *Marmora Erudita*, quorum primum edidit Auctor an. MDCLXIX., secundum quinquaginta annos post ejus nepos Joannes Antonius Caſſinenſis Abbas et sacrarum litterarum in Gymnaſio Patavino magister, cumularunt laudem, quam a *Notis Romanorum* obtinuerat. Quod huic manus extrema minime accesserat, in ipsum quaedam editor addidit. Neque eſt tacendum Sertorium correctorem atque & emendatorem sui fuisse, quod veterem lapidem poſitum in Aedibus publicis ad T. Livium, quo praesertim gloriatur Patavium, pertinere, ut vulgo credebatur, putaverit. Verissime enim a Marquardo Gudio judicatum fuisse intellexit, mentionem ab illo fieri T. Livii Alii Liberti Liviae Quartae, filiae Titi, qui erat unus e Concordiae Deae Patavii in primis cultae Sacerdotibus. Miror equidem non pari modo acutum hominem vidisse Inscriptionem quamdam Juſtinopolitanam, de qua ejus sententiam rogavit Fran-

ciſcus Zenus Juſtinopoli Episcopus, confictam fuisse dolo cujusdam, qui huic civitati multis nominibus clarae decus addere voluit. Sed haec, ut et quaedam alia quae ſugerunt avum, pro sua prudentia animadvertit Joannes Antonius, cui verum quaerere unice propoſitum fuit. In extrema parte operis extat ejusdem dissertatio de sepulcrali quodam cubiculo forte prope Romam in via Flaminia an. MDCLXXIV. detecto, quod vulgo Nasoniorum sepulcrum appellabatur. Quia illud ornabatur non modo inscriptionibus, sed etiam picturis, non Orsati modo, sed et aliorum in illis explicandis acuit induſtriam. Inſtabant vero plurimi et urgebant, ut quidquid veterum monumentorum in apricum proferebat aetas, ipse non tanquam unus e populo antiquariorum, sed tanquam existimator doctus et intelligens illuſtraret, quod est argumento magnam de illius doctrina fuisse opinionem. Ipse vero nihil occultabat iis, qui sententiae suae volebant esse participes, quod natura ei dederat ſingularem humanitatem, nec quidquam ex omnibus rebus humanis praeſtantius esse judicaret, quam de litteris bene mereri.

Innumera sunt quae, ut amicorum postulationibus satisfaceret, scripto mandavit, et ut in promptu haberet copiam rerum, in adversaria referebat quidquid aut legerat, aut viderat, quod ad noscendam priscam vetustatem conducere posset. De qua quidquid pronuntiabat, accurate perpendebat, neque adeo suae, quod moris eſt multorum, tribuebat sententiae, quin etiam plurimum concederet alienae. Isthaec modestia juncta comitati, facilitatique multum valebat ad conjungendas amicitias, & quamvis diſſicillime reperiantur in iis, qui in honoribus et republica versantur, fuit tamen Sertorius carissimus multis Venetis Patriciis, et Cardinalibus Atestino, Mediceo, Barberinio, Delphinio, Barbarigo, Basadonnae et Casanatae, quibus dum tribuebat officia, se non fortunae, sed hominibus solere esse amicum aperiebat. In patria vero coluit praesertim Carolum Patinum, Octavium Ferrarium, & Carolum de Doctoribus, quorum pervulgata sunt nomina; nam cum omnes amicitias tuendas semper putaverit, tum eas maxime, quas ſimilitudo ſtudiorum conciliaverat. Ea propter merito ſibi gloriae ducebat, quod a

se verboſiores epiſtolas eliceret saepe Henricus Noriſius aut aliquid de antiquitate requirens, aut aliquam hiſtoricam quaeſtionem proponens. Nec mediocris sapientiae erat eorum retinere usum benevolentiamque, inter quos esse solet laudis aemulatio: vere enim Heſiodus: τεκτονι τεκτων φθονεει. Quod ſibi utendum esse existimabat judiciis doctiorum, ut hos alloqueretur, Italiam peragravit, semel iterumque Romae fuit, initio sua sponte, poſt etiam invitatu summorum hominum, qui in illa urbe cum et honoribus, tum et scriptorum gloria florebant. Sunt quidam, qui molestas amicitias faciunt, cum ipſi se contemni putant, niſi effuse laudentur, a quo vitio tantum aberat Sertorius, ut qui liberalis erat praedicator alienorum meritorum, neminemque laedebat, nihil ab amicis exigeret, contentus eo quod sponte concessissent. Quamquam patria omnes honores, quos poterat, ipſi detulerit, et in omni procuratione rei publicae ipsum actorem auctoremque habuerit, atque a Senatu Veneto equestri dignitate & Comitis titulo decoratus fuerit, nullum tamen in illo unquam ambitionis ſignum ap-

paruit. Idem immortali memoria percepta retinebat beneficia, quae autem ipse tribuerat, tamdiu meminerat quoad ille gratus erat, qui acceperat. Itaque fecit, ut cum glorioſissime ac tranquillissime vitam in ſinu et complexu suorum degisset, vere dictum videatur: *ſui cuique mores ſingunt fortunam*. Neque tamen prius ille fortunam quam se ipse ſinxit, qui cavit ne qua in re, in qua ſita vitae eſt honestas omnis, laberetur. Ut antiquitatis amator, ſic moris majorum summus imitator fuit, omnesque ejus actiones magnam in Deum pietatem declarabant. Nemo ignorat quanta religione Patavii colatur S. Antonius, cujus ergo an. MDCLIII. libellum edidit, quem inſcripſit: *le Grandezze di S. Antonio di Padova*. Eminuit etiam ejus pietas, cum tactae fulmine arderent S. Juſtinae aedes. Dum enim omnes acerbum incendium lamentabantur, ac nemo ad illud ruina extinguendum accederet, ipse, arrepta securi, inter flammas se se conjecit, ut ceteris exemplo esset, quod cum multi animose secuti fuissent, magno liberata eſt civitas metu atque periculo. Religioni etiam se servire putabat cum

carminibus Sanctorum facta celebrabat, et redibat saepe ad poeſin, quod illius studia adolescentiam alere, et senectutem maxime oblectare dicebat. Non lyricam modo et dramaticam coluit, sed et illam, quae genere quodam perpetuae feſtivitatis commendatur, ut conjici potest ex iis, quae scripſit ad illuſtrandum Italicum poema amicissimi sui Caroli de Doctoribus, quod inscribitur *Aſinus*. Poſtremo philosophi personam suscipere et tueri debuit, cum an. MDCLXX. munus ei datum fuisset explicandorum meteororum in patrio Gymnaſio. Qui ei successit Geminianus Montanarius laudator et testis illius diligentiae fuit, sed ab ea consequi celebritatem sermonis hominum haud poterat. Unicum habuit filium nomine Antonium, qui cum summa elegantia, summaque integritate vixit, quamquam, mortua Irene Mantuana, ex qua illum suscepit, alteram duxerit uxorem Franciscam Sfortiam. Patavii obiit V. Non. Quintilis an. MDCLXXVIII., et cum convenisset universa ferme civitas in Aedem S. Antonii ad ejus cohoneſtandas exequias, satis declaravit quantum ejus mors sibi fue-

rit luctuosa. Jussu Academiae Recuperatorum, de cujus gloria magnopere semper ſtuduit Orsatus, laudatus publice fuit a Laurentio Malcreda, cujus verissima fuit sententia, de illo tamdiu praedicatum iri

Latinis dum manebit pretium litteris (1)

(1) Phaedrus lib. V. ad Particul.

OPERA EDITA.

Sertum philosophicum ex variis ſcientiae naturalis floribus conſertum. Patavii 1635. 4.

Monumenta Patavina, collecta, digesta, explicata, suisque iconibus expreſſa. Patavii 1652. apud Paulum Frambottum. fol.

Le grandezze di S. Antonio di Padova osservate nel trasporto della sua preziosa reliquia data da quella città al Serenissimo Principe di Venezia. In Padova per Paolo Frambotto 1653. 4.

Poesie geniali. In Padova per il Cadorino 1657. 12.

Cronologia de' Reggimenti di Padova da quando vi fu introdotta la Pretura sino al giorno d' oggi. In Padova per gli Eredi di Paolo Frambotto 1666. 4.

I marmi eruditi, ovvero lettere ſopra alcune antiche iscrizioni. In Padova per Pietro Maria Frambotto 1669. 4.

De notis Romanorum Commentarius. Patavii 1672. typis Petri Mariae Frambotti, fol. Recusus Trajecti 1699

Digitized by Google

Tomo XI. Thesauri antiquitatum Romanarum a Joan. Georgio Graevio collecti; ex officina Petri Vander Aa, et Francisci Halmae. fol. *Epitome hujus operis extat impressa Oxonii 1676. fol. in calce marmor. Oxonien.*

Prima parte dell' Istoria di Padova dalla fondazione di quella città sino a l'anno di Cristo 1173. In Padova 1678. per Pietro Maria Frambotto, fog.

Orazioni varie sì Latine come volgari, e moltissime Serenate per Musica, Intermezzi, Ode, Canzoni, e Sonetti stampati in diversi luoghi e tempi.

OPERA INEDITA

MAGNA EX PARTE IMPERFECTA.

Historiae Patavinae pars prima et secunda.

Parte seconda dell' Istoria di Padova, che incomincia dall' anno 1174., e termina nel 1239.

Praenomina, cognomina et agnomina antiquorum Romanorum.

Quadriumvirato Padovano, ovvero Cronologia de' Quadrumviri, Consoli, Anziani e Deputati della Città di Padova dalla loro origine sino al tempo presente, in cui si hanno tutti quelli che hanno havuto queste dignità distinte a famiglia per famiglia.

Prose Geniali.

Discorsi recitati nell' Accademia de Ricovrati Tomi 2.

Raccolta di lettere, marmi ed erudizioni con altro d'antico.

Gentes Romanae Patriciae, Plebejae quoquot inveniri potuerunt ab origine Urbis ad initium Imperii Augusti, Trium-

Digitized by Google

viratu abolito, quae Sacerdotales Urbanasque dignitates in Republica habuere.

Diversi volumi di poesie liriche.

Orondate, dramma per Musica.

Statira, dramma per Musica.

Commedie diverse.

Cronologia de' reggimenti di Padova corretta ed ampliata con annotazioni.

Deorum Dearumque nomina et attributa.

Elucubrationes variae seu historia sacra in Patavinos Episcopos.

Euganea fertile, ovvero Catalogo di tutti i Padovani, che hanno dato opere alle stampe.

Simolacri delle Deità Padovane con elogj.

Lucubrationes in quatuor libros Meteororum Aristotelis.

CAESARI JULINIO

COMITI, ET PATRICIO MEDIOLANENSI EX AMPLISSIMO JUDICUM COMITUM ET EQUITUM COLLEGIO FRANCISCUS FONTANA E CONGR. S. PAULLI

S. P. D.

Quod serius, quam fortassis arbitrabare, redditum tibi est commentariolum meum de vita, scriptisque Georgii patris tui, ignosce plurimis munerum studiorumque meorum occupationibus, non illis quidem magni momenti, sed quibus tamen quotidie satis distineor. Quod vero minus aut expectationi tuae, aut singularibus optimi hominis atque doctissimi in patriam, remque publicam literariam meritis respondeat, cave credas id aliqua potius negligentia factum esse mea, quam tenuitate ingenii. Nihil enim quicquam (id quod unice praestare ipse poteram) studii ac diligentiae praetermisi, quo si minus scite eleganterque, at saltem sincere accurateque imaginem virtutis ingeniique ejus oculis omnium, ac praesertim

adoleſcentum noſtrorum ſubjicerem, quibus haud ſcio, an aliud recens atque domeſticum exemplum praeclarius ſuppetat ad imitandum. Tu igitur, ad quem et haereditas paternae gloriae et laudum imitatio potiſſimum pertinet, munuſculum hoc meum levidenſe, et craſſo filo non ſolum fac eo, quo tibi offertur, animo accipias, verum aliis etiam, quibus potes, in primiſque matri tuae lectiſſimae ac nobiliſſimae matronae, tuoque fratri humaniſſimo commendare etiam atque etiam velis. Id ſi feceris, ſcito non tam mihi, quam beatis parentis tui Manibus praeclaram te gratiam gratificaturum. Vale.

Mediolani in Coll. Caeſareo Nobilium IX. *Kal. Februarias* MDCCLXXXVI.

GEORGIUS JULINUS

Georgius Julinus nobili loco natus eſt Mediolani VI. Kal. Sextiles anno poſt Chriſtum ortum MDCCXIV. Pater ei fuit Joſephus Julinus, Georgii Mediolanensis Senatoris Filius, idemque in Academia Ticinenſi anteceſſor emeritus; mater Angela Sadarinia, quam, extincto ejus priori viro Didaco Gera, Patricio Novarienſi, Joſephus uxorem duxerat. Ab his liberaliter, sancteque educatus, et mature admodum in diſciplinam Jesuitarum traditus ita doctrinas omnes, quibus aetas puerilis impertiri solet, celeriter arripuit, ut annorum decem septemque, confecto ſtudiorum curriculo, juris utriusque Lauream Ticini ſit consecutus. Neque vero quod inſignia doctrinae acceperat, continuo doctrinam ipsam se accepisse eſt ratus, ut plerique adolescentes solent, praesertim tali genere orti; qui scilicet hoc

quaſi gradu quodam, atque aditu ad honores jacto, libros dimittunt: itaque luxui se deſidiaeque dedunt, aut imparati rem publicam capessunt. Contra inexplebili ipse flagrans cupiditate discendi, uti Ticino domum rediit, se totum revocavit ad optimarum ſtudia disciplinarum; idque eo magis, quod aetate firmiore, hominumque doctorum consuetudine judicium senſim perficiente, intelligebat, ſibi illas jejune admodum traditas in scholis fuisse; quod quidem erat potius temporum vitium, quam hominum. Quare non tam sua ſibi esse studia continuanda ſtatuit, quam plane retexenda. Idem quum persuasum haberet, quod Tullius monet, mirum quemdam esse omnium quaſi consensum doctrinarum, atque concentum, ad quam plurimas posset se se adplicare in animum induxit. Id eo valebat etiam, ut in unaquaque quid efficere posset expertus, ingenium nosceret suum; et quo sua ipse natura ferri maxime videretur, in id maxime industriae suae nervos intenderet; quippe cui ante oculos versabatur, vulgo quod dici solet, nihil invita fieri Minerva oporte-

re. Ipsemet in commentariis quibusdam, in quos summa vitae ſuae capita retulit, clarorum virorum nomina, quos hortatores ſtudiorum suorum delegerat, ac veluti duces, memoriae prodidit. De iisdem, quoties occaſio oblata esset, non tam verbo, quam scripto mentionem & perhonorifice, & peramanter faciebat. Quod eſt signum pii gratique animi, quem non minoris aeſtimamus, quam quemlibet ab eo factum in diſciplinis ſingulis progreſſum.

Itaque philosophiae praeceptorem habuit Angelum Mazzolenium, matheseos Josephum Mariam Stampam, quorum alter Oblatorum, alter Somascam Congregationem ornabat; poetices Auguſtinum Neuronum litteratum virum e Capuccinorum familia, qui postea Novocomenſium sacris praefuit, eloquentiae Hieronymum Taliazzucchium, eum, cujus in profliganda superioris saeculi barbarie opera magni fuit. Animum quoque appulit ad Graecas litteras, ſine quibus aditum ſibi ad solidam, reconditamque eruditionem praeclusum fore sentiebat; earumque doctore scientissimo usus eſt Angelo Theodoro Vil-

la, qui modo in Academia Ticinenſi eloquentiam profitetur. In primis excolebat muſicen, cujus artis liberaliſſimae, atque ad levandos humanae vitae labores natae, quum ei amor natura inditus pariter cum aetate adolevisset, non satis habuit elementa didicisse a puero, sed praecepta etiam, quae ad faciendos modos pertinent, a Joanne Sammartinio, qui in pertiſſimis habitus eſt muſicis, diligenter voluit edoceri. Atque quum harmonia organica, a cantu sejuncta, delectaretur mirandnm in modum, hujus excellentes quosque in suo genere magiſtros conduxit. Nam, ut alios omittam, citharizare doctus est a Carolo Zuccario; cantare tibiis ab Antonio Sammartinio: *pſalterium* pulsare ab Antonio Antoniano; *clavicymbalum* a Carolo Boronio, quorum omnium adhuc pervulgata sunt nomina.

Florebant saeculo hoc ineunte, quemadmodum in reliqua Italia, ſic etiam Mediolani ſtudia antiquitatis; iisque provehendis conflata est nobilissimorum et eruditissimorum civium societas, quam Palatinam appellarunt; qua quidem haud scio, an alia

fuerit usquam de universa eruditorum natione, in primisque de Italorum ingeniis merita praeclarius. Nae huic praeter ceteros maximam habuit gratiam Muratorius, cujus immensa illa volumina, quibus homo doctiſſimus immortalitatem nominis acceptam referre potiſſimum debet, ſine sodalium Palatinorum ſtudio, et pecunia nunquam fortasse aspicere lucem potuissent. Hi scilicet proposuerant ſibi, ut codices manu exarati, et vetuſta quaeque monumenta, maxime ſiqua Italicae historiae medii aevi, quae omnium maxime involuta erat tenebris, lumen adhibere aliquod possent, ubivis delitescerent conquirerentur, atque ex abditissimis tabulariis, & bibliothecarum forulis deprompta, eruditisque annotationibus exornata, & eleganter cusa in commune commodum prodirent. Quare factum eſt ut ſtudium veterum rerum, quoad inſtitutum hoc viguit, in civitate celebraretur quotidie magis, et vix jam reperiretur, qui modo cupidus litterarum esset, aut dici vellet, quin se illo delectare profiteretur. In hanc igitur aetatem adolescentia Georgii quum incidisset, qui quid-

quid scitu dignum foret, ultro arripiebat avidissime: qua tandem illius doctrinae adsequendae cupiditate incensum fuisse arbitramur, quae ita, uti est, majori etiam parti videbatur pulcherrima? Huc accedebat quaedam domesticae laudis aemulatio. Namque et avum Georgium, et avi fratrem Fauſtinum, & patrem Josephum nactus eſt cum jurisprudentiae laude praestantes, tum etiam in veteribus chartis & membranis colligendis induſtrios. Has igitur, in promptu cum haberet domi, evolvere coepit, tum alias conquirere, quaeque in iis usui esse possent seponere; antiquarios praeterea, diplomaticos, historicos omnium aetatum & gentium lectitare; ad ultimum numismata, inſcriptiones, anaglypta, muſiva, sarcophagos, et si quid eſt aliud veterum monumentorum visere; ex iisque rebus tantam senſim voluptatem percepit, nihil ut jam esset quod faceret libentius. Hactenus de studiis, in quibus Georgius juventutem contrivit, satis erit dictum, ſi hoc unum adjunxero, nunquam juris scientiam ab eo dimissam fuisse; in qua quidem quantum profecerit sa-

tis testimonium extat elucubratio, docta mehercules, quam manu scriptam reliquit de legibus in decoctores latis. Nihilo tamen magis forum attigit; credimus, ne tricis, & litibus, a quibus natura abhorrebat maxime, implicaretur.

Ad has ingenii exercitationes plura ac longe majora animi bona accedebant. Erat enim modestus, frugi, veritatis diligens, & alienae famae usque adeo parcens, uti neque de quoquam detreheret unquam, neque detrahere alios pateretur. Humanus, officiosus, majoribus natu adsurgens, aequalibus jucundus, omnibus affabilis, in primisque obsequentissimus parentibus. Ita in religionem Christianam, quam pene cum lacte nutricis suxerat, animatus, prorsus, ut nihil de suis factis, studiis, conſiliis non ad ejus normam, et praescriptum dirigeret; ceteras res, opes, nobilitatem, doctrinam, gratiam, prae illa flocci faceret, ejusque sacra omnia, & caerimonias, quas externus Dei cultus deſiderat, diligentiſſime obiret. Tali modo cum se gereret ipse, eaque esset aetate, ut non jam solum bene sperare, sed omnino

Digitized by Google

ab eo exſpectare poſſent homines, quae a ſingulari virtute, et ingenio exſpectanda ſunt, ſibi pater ejus beatiſſimus videbatur. Recordantur majores natu, qui adoleſcentes hoc ſene familiariter ſunt uſi, ſaepius de Georgio ſuo loqui ſolitum; tum vero, ut Terentiano illi ſeni, *uno ore omnes omnia bona dicere, & laudare fortunas ſuas, qui gnatum haberet tali ingenio praeditum: at homini illico lacrymas cadere, quaſi puero, gaudio.*

Neque vero cauſſa ſuberat ulla, quare pater timeret (ut timidi eſſe ſolent, qui amant) ne quid aſſidua illa, multiplexque animi contentio incommodi importaret ejus valetudini, ut pote quem videbat recte ſeſe habere ſemper, neque quicquam de hilaritate ac ſuavitate ſua naturali amittere. Quod nemini mirum eſſe debet. Nam quamvis Georgius noctes et dies in tot doctrinarum meditatione verſaretur, retinebat tamen modum, animumque identidem relaxabat liberalibus ludis, & ingenuo quoque digniſſimis, non qui in alea ſcilicet, aut commeſſationibus, aut ineptiis amatoriis conſiſterent, ſed quibus aliqua eſſet cum gymna-

sticis, & palæſtricis veterum Graecorum, Romanorumque exercitationibus ſimilitudo. Didicerat in primis ſaltare, ac jactare haſtas; adeo ut horum utrumque et pulchre facere ipse posset, et alios edocere. Atque his in rebus quo se exerceret commodius, in Collegium Nobilium, cui tum temporis Jesuitae moderabantur, ventitabat. Hi autem capti adolescentis probitate et doctrina, non admittebant modo, sed ultro rogabant, nullum ut temere intermitteret diem, quin veniret quaſi illarum artium hypodidascalus; intelligebant enim puerorum animos, quorum ſibi erat cura demandata, mirifice illius convictione ad praeclara quaeque incitari. Itaque legendo, scribendo, commentando, magiſtros interpellando, cantando, saltando, aliud ex alio agendo semper, quum nihil otio relinqueret loci, non poterat sane non jucundissime vivere: ſicut enim ſimilitudo fastidii, ſic est varietas oblectationis mater.

Et hercule hilaritatem in hoc adolescente multam fuisse, quamvis in tot ſtudiis, atque artibus occupato, multa sunt argumenta; quae etſi scimus levia visum

iri, exponere non dubitamus; illud enim unum intelligi volumus contra, quam plerique autumant, non solum non obrui hilare aetatis floridae ingenium, sed excitari potius, atque ali varietate ſtudiorum. Itaque Georgius et in hac ſuavitate humanitatis, qua jam tum homines delectabantur, perjucunde versabatur quotidie, poſtquam a gravibus scilicet, seriisque rebus se remiserat, et certis anni temporibus aliquanto liberius laetitiae se dabat; ſic tamen ut nunquam non aliquod probi ingenii lumen oſtenderet. Libenter enim per eos dies, qui a profusa quadam vulgi laetitia, ludorumque frequentia Bacchanales appellantur, non raro consueverat personatus trivios et compita interdiu circumvectari, noctu choreis interesse. In quo non tam ingenio indulgebat ſuo, quam amicorum, qui in ejusmodi larvatis pompis, quibus illa tempora plus multo delectabantur, quam nostra, apparandis, ornandisque ſere auctorem eum actoremque habebant. Ipse autem dabat operam, ut his plus salis esset, quam sumptus; atque adeo non tantum vulgo, & turbae, sed eruditis quo-

que oculis afferre oblectationem poſſent. Hac occaſione aut epigramma aliquod Italica lingua conſcriptum, aut alterius metri carmina spargere in vulgus erat ſolitus. Cujus generis duas habemus odas adhuc in manibus, e quibus hilarum ſcriptoris ingenium, nec inficetum poſſis agnoſcere. Idem ad theatrum itabat, non quo falleret otium, ut plerique ſolent homines lauti atque nobiles, qui fere nihil quum habeant penſi, nullam ſine his ſolatiis eſſe vitam ducunt; ſed quod poeſi, et muſica, ut paullo ante demonſtravimus, ſeſe potiſſimum oblectabat. Atque illud quidem plerumque ei ſuppeditabat, ubi aures expleret ſuas, quarum delicatiſſimo utebatur ſenſu; in hac quippe civitate tam ampla, tam locuplete & ſplendida fas erat, ſi uſquam alibi, tum ludos ſcenicos ſpectare apparatiſſimos, tum vel maxime audire quiquid pulcherrimarum elucubrationum, et praeſtantium cantorum ferebant tempora. Itaque quoties dabatur fabula, quam eſſet operae pretium cognoſcere, ſeorſim ſedebat, audiebatque illam ta-

cite, et quicumque una ſecum cuperent intereſſe, admittebat hac lege, ut ſilentium darent. Interea quo erat acri judicio, tum carminum, tum ſonorum atque cantuum vitia omnia ac virtutes notabat; neque non aegre ferebat cum inepta videret ſpectatorum faſtidia, concurſationes, convicia, ſupploſiones pedum, dolebatque *narrari*, ut lepide loquitur Horatius, *aſello fabellam ſurdo*, propterea quod non plebeculae modo,

Verum equitis quoque jam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos, et gaudia vana.

Quam ob cauſſam multo libentius, quam theatra, conventus amicorum eiſdem artibus gaudentium frequentabat, ubi ſonis, atque concentibus vacare ſine interpellatoribus poſſet. Ex his autem illum longe praeferebat ceteris, qui in aedibus *Canonicorum* S. Ambroſii agebatur, eoque adoleſcente adhuc florebat, ſed paucis poſt annis, neſcio quo pulcherrimae artis fato, certe non

ſine multorum querelis, desiit celebrari. Illuc quippe fidicinum, cornicinum, tubicinum, tibicinum, psaltriorum denique omnium, & cantorum flos confluebat; atque eo quidem successu, ut vulgo accepta ei referatur perfectio, ad quam Mediolani citius, quam in reliquis Italiae urbibus, muſicam pervenisse compertum eſt.

Pari modo magnam autumni partem, quod alterum anni tempus ad remissionem animi conceditur, et lepide, & hilariter traducebat Buffalorae; qui vicus est inter Ticinum flumen, et euripum, quem vocant, grandem, octavo et decimo ab urbe lapide. Illic enim quum domum haberet mater ejus hereditate relictam a priori viro, de quo commemoravi supra, satis amoenam, et multo commodissimam, rusticari solebat Julinorum familia, posthabitis, quae aviti juris erant, villis nobilioribus, e quibus Soricanam in ora lacus Larii Joannes patruus Georgii noſtri nullis sumptibus pepercerat, uti magnifica aede, hortis amoenissimis, et piscinis in vivo saxo affabre effoſſis ornaret. Celebres ad hoc usque temporis sunt ludi sce-

nici, qui Buffallorae a Julinis ſplendide dabantur, agebanturque feſtiviſſime; comoediae ſcilicet, & tragoediae nobiles, remotaeque ab omni turpitudine dictorum atque ſactorum; quorum actus ſingulos, exodii loco, concentus muſici diſtinguebant. Georgio, prout ad res omnes aptus erat, atque adeo non unas agebat partes, plauſus a corona ſemper dabatur multiplex; nam ſive tibia caneret, ſive fidibus, ſive ſuos, ſive alienos modos, ſive in ſcenam prodiret, placebat omnibus ſummo opere. Nec modicam laudem aſſequebantur fratres natu minores, Fauſtinus et Octavius, indole, atque ingenio praeſtantes adoleſcentes, quorum alter poſtea ampliſſimo ſacerdotio in principe hujus urbis templo inſignitus, atque ad graviſſima negotia ob ſingularem ejus prudentiam, rerumque uſum a Joſepho Puteobonello adhiberi ſolitus, mature deceſſit; alter non modo a negotiis publicis, verum etiam ab oculis hominum remotus, fere agit in agro vitam, otio litterario, et re ſua familiari delectatus. Sed primas deferebant omnes Laurae eorum ſorori, ſuaviſſimis moribus puel-

lae, multisque bonis artibus excultae; quippe quum versus ea suavitate oris, atque vocis recitaret, ut supra nihil poſſet. Itaque donec fabulae illae agebantur, magni audiendi caussa nobilium hominum feminarumque concursus fiebant, qui scilicet in tota illa vicinia ruſticabantur, sed agi sunt deſitae anno MDCCXLV. quo anno Hispanorum, Gallorumque apud Ticinum castra consederant. Neque de illis cogitatum eſt amplius, propterea quod Laura, cujus potisſimum oblectandae caussa fuerant inſtitutae, eodem anno in nobilissimam Torniellorum familiam nupta, paucis post menſibus acerbissimo fato occubuit.

Ex hoc tempore Georgio pristinam illam hilaritatem suam excussam esse perhibent, seu quia tam grave accepisset vulnus mortis sororis carissimae, ut earum rerum, quibus antea delectabatur, pigeret, seu quia fortasse, cum vir factus esset, cepissetque ducendae uxoris conſilium, quod multo non ita post perfecit, se minus jam decere ludos, et jocos arbitrabatur, quibus adolescens indulserat. Duxit autem feminam primariam

Virginiam Morigiam, quam, praeter nobilem propinquitatem generosamque majorum famam, multa alia & fortunae, & naturae dona exornant. Post haec non multo pater deceſsit. Sed ad exercitationes ingenii ejus revertamur; quod quidem licet notum antea civibus esset suis, multo tamen clarius, tamquam in theatro quodam, explendescere per id tempus coepit in coetu Transformatorum, qui inſtitutus fuit Mediolani, aut potius reſtitutus anno MDCCLXIV. De hujus origine, inſtauratione ac praeclaris inſtitutis nihil eſt, quod plura persequamur; quippe cum luculenter ejus historiam descripserint duo ejusdem socii, nempe Franciscus Xaverius Quadrius in extremo historiae suae poeticae volumine, & Lodovicus Riccius in eleganti commentariolo de ſcriptis vitaque Josephi Imbonati Comitis, primarii restitutoris. Tantum dicam, nomen illi quidem dedisse multos doctrina praestantes philosophos, theologos, jurisconsultos, antiquarios, nonnullos etiam oratores probabiles, et complures nobiles poetas; in his Joannem Carolum Paſſeronium, et Josephum Parinium, quorum mul-

to

to illuſtriora sunt poemata, quam ut cujusquam oratione clarescere poſtulent: neminem tamen ejus incolumitati, et gloriae majori ſtudio inserviisse, quam Iulinus, qui unus e Reſtitutoribus fuit, licet trigeſimum aetatis annum vix praetervectus. Etenim quamdiu ille manſit, tum publicos, tum privatos conventus frequentare non destitit, semperque aliquid novi vel numeris adstricta, vel soluta oratione elaboratum afferebat. Quaecumque vero multis vigiliis atque improbo labore & ſtudio de antiquitatibus Latinis, aut patriis investigasset, primo quoque tempore communicare ea cum sociis consueverat; itaque incitabat omnes studio suo, summoque in honore habebatur. Tandem Imbonato vita functo, quum orbae societatis esset ipse veluti tutor relictus (erat enim a secretis) socios coegit, ad eosque in magna civium frequentia de ejus laudibus orationem habuit elegantis illius conventus auribus dignam kalendis Septembris anno MDCCLXVIII., quam anno post ad honesſtandam clarissimi soceri memoriam, una cum variis sociorum carminibus edendam curavit Franciscus Car-

canus, Patricius Mediolanenſis, liberalibus disciplinis perpolitus. Hanc qui legit, quanto Georgius conservandae litterariae illius societatis ſtudio flagraret facile intelligit. Ac nihil revera non egit, quod ad eam conservandam valeret. Sed dissociatis animis sodalium, summo cum ejus dolore disjecta eſt.

Non vacat hoc loco elucubrationes ſingulas recensere, quas in Transformatorum coetu recitavit, & multo etiam minus poeticas, in quarum numero fuerunt tragoediae duae, comoediae tres, dramata ad usum scenae, atque cantus complura. Haec enim, & alia poemata breviora, quae ſibi festinanti exciderant, quaeque ante annum MDCCLII. emitti in vulgus est passus, ut ceteris probata fuerint, in primisque eruditissimo harum rerum aestimatori Francisco Quadrio, qui illorum aliquot magna cum laude commemorat, ipse tamen (ut erat scriptorum suorum censor et prudens, & modeſtus) quum aetate provectior ad trutinam revocasset, reprobavit, nulloque in numero habenda esse statuit, niſi ſi qua in poſterum emendare, ac meliora facere sibi per otium li-

cuiſset. Quod nunquam licuit homini plurimis aliis ſtudiis, negotiisque quotidie magis diſtracto. Atque utinam tragoediae saltem, cui nomen est Alcmaeon extrema accepisset manus. Hanc quippe qui audierunt, aut etiam oculis habuere subjectam fidelibus aestimatores docti, atque intelligentes, fecerant tanti, ut tum gravitate dictionis, sententiarumque delectu, tum viva morum, animique affectuum repraesentatione, tum totius demum fabulae structura, in nobilibus Italicis tragoediis, quarum non ita magnus est numerus, ponere non dubitarent. Nos tamen gravissimi viri de rebus suis judicium veriti, his omissis, opuscula dumtaxat, in quibus argumenta erudita tractavit, inſigniora saltem referemus.

Prope Modoetiam pagus est non ignobilis, vulgo qua *Archor*, qua *Hercules* appellatus. Ibi temporibus Alciati in S. Apollinaris mensa erat, altaris uſum praestans, e marmore politissimo, atque candidissimo, in quo elegantissimis litterarum figuris inscriptio ad Iuliam Druſillam spectans legebatur; manca tamen atque deformata, nonnul-

lis scilicet litteris vetuſtate exeſis, & duobus integris verſibus scalpro abraſis; qualem fere Gruterus refert ex ejusdem Alciati exemplari descripta. Posteris vero temporibus marmor illud ab altari avulsum jussu S. Caroli Borromei, ut Julinus suspicatur, perdiu jacuit inter rudera, vestitum vepribus, & dumetis, donec illud avus ejus invenit, & dono acceptum, ut erat harum rerum non incuriosus, domum suam Mediolanum exportandum curavit. Suarum igitur esse partium existimavit Julinus praeclarum adeo monumentum antiquitatis politioris, quod sui mancipii erat, illustrare; maxime cum videret neque satis exacte a Grutero relatum, neque bene ab Alciato explicatum; itaque fecit. Ac primo ostendit titulum illum non sepulcralem esse, sed honorarium, neque ad Druſillam filiam Caii Caligulae, sed ad sororem pertinere, quibus de rebus addubitaverat Alciatus; data autem occaſione, obiter animadvertit Druſillae aeque, ac duabus aliis ſororibus Agrippinae, & Livillae praenomen Juliae fuisse, quod licet nemini fortasse dubium unquam fuit, nullo tamen adhuc ve-

teri monumento constabat. Praeterea non solum voculas, quae desiderabantur, sed integros etiam versus, quos exscalptos de induſtria a posteris fuisse demonstrat ad abolendam teterrimi Imperatoris memoriam scite admodum, meo judicio, & perite supplevit; atque ita ut lacunae (*a*) marmoris adamuſſim

(*a*) En Inſcriptio qualis affertur ab Alciato in *Antiquario* pag. 116. Codicis Biblioth. Ambroſ. et a Grutero pag. 1022. n. 4.

IVLIAE DRVSILLAE
GERMANICI . F
. . . .
. . . .
D. . . . .

In lapide tamen, qui in aede Julinorum adſervatur, ita se habet:

JVLIAE . DRVSILLAE
GERMANICI CAESA . .
. . . .
. . . .
D. . . . . .

Ex quo apparet, tum Alciati temporibus litteram F. conspicuam in lapide adhuc fuisse, quae nunc una cum ex-

expleantur. Ad ultimum cum quaereretur, cuinam monumento an arcui, an statuae, an templo inscriptio illa fuerit affixa, nihil quidem pro certo audet dicere; suspicatur tamen Druſillae arcum dedicatum fuisse, seu, ſi mavis, decreto Decurionum positum; unde pagus ille fortasse *Archori*, aut *Archuri* nomen invenit, quo fere in veteribus membranis appellatur; in eamque rem exempla aliquot affert, quae indicant monumenta hujus generis in villis etiam, atque pagis excitata nonnunquam fuisse. Haec autem omnia ſingulari perspicuitate, quae ejus erat propria, et multa eruditione, eaque minime vulgari, Transformatis exposuit anno MDCCXLVI. Eadem poſtea in diſſertationem conjecit, quam

tremis litteris *Druſillae*, & *Caesaris* deſideratur; tum ab eo vocem *Caeſaris* omissam oſcitanter. Jam vero quod inscriptioni deeſt ita ſupplevit Julinus.

IVLIAE DRVSILLAE
GERMANICI . CAESARIS . F.
C. CAESARIS . AVG.
GERMANICI . SOR.
D. D.

de Julia Druſilla in *Collectione Mediolanenſi* (ſic enim inscribitur) decem poſt annis in vulgus edidit: locupletem illam quidem, & longe erudiliſſimam; ſic enim omnia ex scriptoribus Graecis, & Latinis, et ex numismatibus, aliisque monumentis de celebris illius feminae genere, ortu, vitiis, moribus, fortunaeque vicibus, ac de honoribus eidem, et vivae, et mortuae habitis, perscripta sunt, ut nihil non appareat.

Anno consequente, tum in eadem *Collectione*, tum separatim libellum alium, quem non multo ante sociis perlegerat, in apertum protulit de Amphytheatro Mediolanenſi. Habuisse hanc urbem, in qua complures annos domicilium orbis terrarum fuit imperii, quamque thermis, circo, theatro, palatio illis temporibus ornatam novimus, id genus etiam aedificii, neque temporarium, sed marmoreum, et magnificentissimum, convenit inter omnes, qui de rebus Mediolanenſibus scripserunt. Sed tam magnus consenſionis globus nihilo plus ponderis habet, quam una Galvanei, Flammae scriptoris nugacissimi auctoritas, quam ceteri nimirum, alius

alium exscribentes, temere sunt secuti. Primus omnium Flammae testimonio diffisus, rem de integro expendit Petrus Gratiolius Bononienſis, e Congregatione Sancti Paulli, in erudito atque eleganti opere de praeclaris Mediolani aedificiis. Hic multum quidem quaeſtioni lumen attulit, non tamen abunde satisfecit. Nam neque vidit argumenta firmiora, quibus suam tueri sententiam posset, neque quidquam respondit Scipioni Maffaejo, qui quum in ea eſſet opinione, ut exiſtimaret Amphitheatra nusquam fuisse lapidea, praeter quam Romae, Nemauſi, Capuae, et Veronae, multa adversus Mediolanense objecerat, desumpta cum ex actis SS. Martyrum Firmi, & Ruſticii a se editis, tum ex carmine Ausonii, et ex rythmo quodam veteri de laudibus Mediolani, in quibus de amphitheatro verbum nullum; quamvis non tantum occaſio erat, sed etiam caussa illius commemorandi. Itaque scriptores Mediolanenses caussa cecidissent, niſi patronum Julinum nacti essent, cum a doctrina, tum ab acri, et prudenti judicio instructissimum. Nae hic rem in utramque par-

tem, nullo partium ſtudio, penſitat accurate, vera a falſis, dubia a certis separans, nihilque eorum dissimulans, quae ſibi obesse viderentur. Nihilo tamen secius ita celeberrimi adversarii, & eruditorum aetatis suae facile principis argumenta diluit, itaque e contrario sua confirmat, praesertim quae tum a Laudulpho seniore, cujus libri in volumine quarto rerum Italicarum continentur, tum e S. Ambroſii teſtimonio, ejusdemque vita a Paullino scripta deprompſit, uti ſi ille paullo vixisset diutius, et legere ea potuisset, non dubito quin, licet invitus, animum induxisset tandem, ut quatuor illis amphitheatris, cum alia nonnulla, quemadmodum Sutrinum, cujus reliquiae haud ita pridem sunt detectae, tum etiam Mediolanense adjungeret. Ceterum hariolari ipſimet Julinus fatetur, quum et locum, & auctorem veteris hujus aedificii satagit inveſtigare; aliquot tamen conjecturas proponit, leviculas illas quidem, sed non plane improbabiles, quibus ducitur ad suspicandum, & ab Imperatore Trajano amphitheatrum Mediolani excitatum fuisse, et in ea urbis parte, quae vulgo *via*

arenae etiam nunc appellatur. Neque videor debere praetermittere, in hoc opusculo, quum de *Luſoriis* ſermonem injeciſset, ut haec ab amphitheatris diſtingueret, opportunam eum occaſionem esse nactum corrigendi Hermantii errorem, qui in vita S. Ambroſii pulcherrimum hujus, & ſplendidiſsimum facinus Chriſtianae fortitudinis, Sozomeni locum quemdam perperam interpretatus, mire extenuarit. Ex hoc quippe colligitur Sanctiſsimum Antiſtitem, quum ad Gratianum Auguſtum, qui tum forte venationem ſpectatum iverat in Luſorium, mortem cujusdam deprecaturus veniſset, eſsetque ei omnis alius aditus interclusus, ad portam, qua ferae immittebantur, clanculum deſcendiſse, earumque ita pro nihilo morsum, atque ungues habuiſse, ut iis permixtus ingreſsus in caveam ſit; neque ante Imperatoris ipſius, & amicorum obteſtationibus, uti ſibi parceret, atque inde abiret, ceſserit, quam veniam reo impetraverit. Ab hac enim vero immane, quantum Hermantii narratio diſcrepet, cujus ſumma eſt in Palatii vivarium introiiſse Ambroſium una cum venaticis canibus, perinde ac ſi

venatio illa caprearum atque leporum fuiſſet, non immanium ac furentium belluarum. Quod contra esse Julinus, et ex ipſius Sozomeni verbis, et ex epiſtola Caſſiodorii secunda, et quadrageſima libri V. *Variarum*, plane evicit; itaque factum praeclarissimum, et cum paucis comparandum, ad quae Chriſtiana in alios homines charitas quemque unquam impulerit, ad splendorem priſtinum eruditione sua revocavit.

Sed cum nulla esset antiquitatis pars, in qua non perlibenter Julinus versaretur, tum praesertim re anularia delectari videbatur. Duo in primis opuscula de gemmarum veterum sculptura confecit. In horum altero generatim disputat, et quo tempore, & a quibus ars hujusmodi inventa primum fuerit, quibusque veluti gradibus se ad summum perfectionis evexerit; tum in eadem qui omnium maxime floruerint, et quibus inſtrumentis uterentur; demum quae gemmarum genera majori forent in pretio apud veteres, et qui illarum varii usus, et ſi qua alia sunt ejusmodi. In altero nonnulla praefatus de gemmis anullariis, ſive quae or-

namento, ſive quae ad obſignandum usui erant, explicare inſtituit gemmam quamdam litteratam, quam inter alias antiquitatis lautitias hujus generis habebat domi, plurimique faciebat. Erat quippe achate crystallina perspicua, aurea ſunda inclusa, affabre prorsus, et antiquo, quemadmodum ipse pluribus demonſtrat, artificio sculpta Julium Caesarem paludatum, laureaque spicis intertexta evinctum exhibens, lituo atque astro adjectis cum hoc titulo: DIVI IULII. Haec quidem ſingula pulchre exponit; sed inscriptionem potiſſimum, in qua illud animadvertit, quod alibi nemo ante ipsum, quodque in gemma, non ita dissimili, quae in Museo Odeschalchio fuit, Stephano etiam Morcello, viro eruditissimo, atque acerrimo harum antiquitatum aestimatori admirabile postea est visum; nomen figurae videlicet, quod in gemmis illuſtri aliquo vultu inſignitis raro admodum reperitur, hic praeterea secundo casu adpoſitum legi, quo casu artificum nomina fere apponebantur. Nodum tamen Georgius expedit, opinor, commodissime; quippe qui animadverterat numismata, quotquot habuit

unquam in manibus, Julio poſt αποθεωσιν cuſa, ubi ſcilicet aſtrum adfictum est, nomen ejus genitivo ſemper caſu exhibere; reliqua vero omnia ad ceteros Imperatores, aut ad eundem Julium nondum in Deos relatum, pertinentia, non item. Ex quo concludit caſum illum ad ſtellam, quae, ut ex teſtimonio Svetonii compertum eſt, imaginibus Divi Julii in vertice nunquam non addebatur, minime vero ad figuram eſſe referendum. Quod ſi Mediobarbus nummos aliquot afſert, eundem illum quidem titulum, non tamen aſtrum exhibentes, id niſi adulterinos illos eſſe, & ſubdititios ſuspicari libet, propterea accidiſſe oſtendit, quod aſtrum aut vetuſtate exesum evanuerit, aut cum minutulum ſit inſtar puncti, non fuerit ab ipſo animadverſum.

Haec opuſcula duo alia, aliquanto ampliora, excipiunt ſimilis argumenti, quorum unum hiſtoriam anulorum continet ab orbe condito, usque ad exordium rerum Romanorum; alterum verum annotationes eruditiſſimas in caput primum libri XXXIII. Plinianae hiſtoriae, quod de anulorum potis-

ſimum origine inscribitur. In his quam valde Georgius fuerit, tum veterum rerum, tum linguarum, praesertim Graecae, litterate peritus, manifestius ac plenius, quam in ceteris ejus operibus apparet; eoque magis dolendum est non ea fuisse & limatius expedita, et typis descripta. Sed nimirum utrumque specimen erat ingentis cujusdam operis, quod de re anulari universa meditabatur, tribueratque in libros quinque, in quibus ita materiam omnem plene perfecteque tractare conſtituerat, ut qui adversaria pervolvit, magnamque eo congestam eruditionis vim, & prudentissimam rerum diſtributionem expendit, facile intelligat, modo ut permanere in incepto potuiſſet, nullam eum quaeſtionem propriam ejus loci fuisse praetermissurum.

Sed tantum opus de manibus vix adumbratum deposuit, quum ad contexenda, & explicanda urbis, et agri Mediolanenſis monumenta se totum dedisset, quod munus non putabat sa patriae diutius posse debere. Hujus quippe usque ab anno MDCCLI. primum sodalibus specimen exhibuit, et alias alia deinceps exhibuit fragmenta, praesertim an-

no MDCCLIV. quum Madiolani esset, eosque conventus frequentaret Joannes Maria Mazzucchellius Comes, & Patricius Brixianus longe eruditissimus, cujus plausus, & cohortationes mirum quantum currentem eum incitarent. Atque ego quidem arbitror, hanc ei mentem initio fuisse, ut ab origine ultima ſtirpis Mediolanenſis exordium scribendi caperet. Huic rei sunt indicio duo ejus codices, quos manu exaratos reliquit, in quorum altero monumenta ejusmodi usque ab anno poſt Romam conditam centeſimo quinquageſimo quinto colligere, inque sua tempora digerere inſtituit; quo anno Bollovesus Gallorum dux, in hanc planitiem descendiſſe traditur, et prima Mediolani fundamenta jecisse: in altero unde, & quo tempore Etrusci, Umbri, atque Insubres, a quibus haec provincia eſt nomen antiquitus nacta, huc commigraverint diligenter inquirit. Verum id conſilii abjecit, veritus, ut novi aliquid afferre posset. Nam ſi innumerabiles fabulas, plerumque ineptas, ac prorsus absurdas excipias, quibus saeculo XIII. tota foedata Mediolanenſis hiſtoria eſt, quasque XIV. ineun-

te collegit, nullo adhibito judicio, venditavitque poſteris Galvaneus Flamma, pauca oppido prae dignitate, & amplitudine sua servat haec civitas remotae vetuſtatis veſtigia, quippe quum domeſticis, externisque bellis perpetuo vexata, et toties direptionibus, incendiis, ruinis fuerit obnoxia. Quare qui cupiditatem habet notitiae illiusmodi rerum, modo ut ea legat, quae docti, et egregie cordati scriptores saeculi decimi sexti, Triſtanus Calcus, Carolus a Baſilica Petri, & Puricellius, e recentioribus vero Muratorius, & Saxius memoriae prodiderunt, praeterea inscriptiones aliquot noverit, & anaglypta sacra & profana, quae tamquam e naufragio reliquiae ſupersunt, explicanturque ab Alciato, Cicerejo, Gratiolio, Allegrantio satis luculenter, nihil ei deest propemodum, quin sciat. Haec igitur Georgio secum reputanti, ne actum ageret, studium omne suum ad investiganda sequioris aetatis monumenta visum est conferre; ab adventu scilicet Caroli Magni in Italiam, eversoque Longobardorum regno, usque ad initium potentiae Vicecomitum; quae pars hiſtoriae quinque comple-

plectens immanis barbariae saecula, & longe mendoſior erat ceteris, et magis involuta tenebris. Hujusmodi monumentorum non minima quidem copia in aedificiis quibusdam, anaglyptis, muſivis, & inscriptionibus extabat, & hercle etiam in membranis quam plurimis, atque in rudibus illius aevi scriptoribus. Ea tamen ipsa, quum in urbe, et in agri oppidis atque villis dispersa essent, et tot jam saecula ſitu, et squallore obſita, inveſtigari, ac reperiri ſine ſingulari solertia, et pertinaci quodam studio non poterant, praecipue vero membranae, in quibus expressior profecto, quam usquam alibi, illorum temporum imago continetur. Hae nimirum partim negligentius adservatae, et omnibus incognitae, praeter quam blattis, in tabulariorum angulis delitescebant; partim quum in eorum potestate forent, qui nulla publicae utilitatis habita ratione sibi tantum esse divites volunt, centum ferreis vectibus obserebantur. Praeterea ubi erutae a tenebris fuissent, exscribere eas diligenter oportebat, tum quid in singulis esset momenti sollertissime perpendere, ac demum perinde atque e ramentis fluminum, ut

Digitized by Google

ipse loquitur Julinus, lucentes auri scintillae improbo labore secernuntur, ex iis secernere res gestas abditas atque reconditas, et in veritatis lucem proferre. Cui quidem negotio parum satisfecerant summi viri, qui ad haec studia viam posteris muniverant, Muratorius Puricellius, Saxius, Sormanius; neque enim omnia recte ipsi explicarunt, et nonnulla etiam oscitanter hallucinati sunt. Iisdem res complures, quas magni ad historiam eorum temporum interesset scire, incognitae fuerunt; aut certe non satis exploratae. Quid quod illae ipsae notitiae rerum, quas in medium ipsi e tenebris protulere, in tot voluminibus dispersae non aeque videbantur juvare cupidos eruditionis posse, ac si ab uno aliquo tum universae in uno essent opere comprehensae, tum acriori judicio expensae, et suo quaeque loco, ac bono in lumine collocatae? Hoc autem longum opus, et salebrosum, et multa requirens induſtriae, doctrinae, ingenii subsidia, id ipsum est, quod Julinus receperat; itaque noctes atque dies urſit annos circiter viginti, ut feliciter ad exitum perduxerit, etiamsi variis semper, et maximis distractus curis. Neque e-

nim ita se in haec studia abdiderat, ut nulla ab iis ratione divelli se pateretur, officiumque aliquando negligeret. Quin immo nihil ei fuit in tota vita antiquius, quam aliorum commodis atque utilitati, quantum poterat, inservire, maxime eorum, quos aut pietas sibi, aut amicitia, aut natura commendaret.

Ac primo sedulam liberorum institutioni operam dabat; rei vero familiari tantam quantam deberet non indiligens paterfamilias. Praeterea pio illi Inſtituto, quod *Montem pietatis* vocant, praefectus fuit; item magno urbis Valetudinario ſemel atque iterum. Hujus etiam tabularium in ordinem redigendum curavit, et saepe ruſtica praedia obivit. Eadem officia Valetudinariis, quae in agro sunt, praeſtitit. Quibus quidem muneribus non a se quaeſitis, sed ultro delatis diligenter adeo sancteque eſt perfunctus, ut exemplo eſſe posset ceteris, quemadmodum hujusmodi rerum procuratio *ad utilitatem eorum, qui comissi ſunt, non ad eorum, quibus comissi, gerenda sit*. Pari modo inter Patricios Mediolanenses, qui splendidissimus est civitatis ordo, anno MDCCL. quum adlectus fuisset, bienniogue post XII vir. annonae publicae curandae renu-

ciatus, singularem in hoc amplissimo Magiſtratu, quem iterum aliquot post annis gessit, diligentiae, aequitatis, abſtinentiae laudem tulit. Huc adde amicorum, quibus abundabat (erat enim ad conciliandas, tuendasque amicitias, ut boni esse solent, aptiſſimus) tum civium, tum exterorum aſſiduas interpellationes, quorum partim carmina ab eo, aut lucubrationes muſicas flagitabant, partim aliquid de antiquitate requirebant; neque id mehercules frustra: gerebat enim ipse omnibus morem libentissime. In hís Joannes Andreas Tricus, Bibliothecae Ambroſianae praefectus, vir eruditus, diſſertationem suam de pervetuso lapide, in quo Faſti Fratrum Arvalium describuntur, ejus judicio permiſit, elicuitque epistolam verboſiorem, Latine scriptam, in qua puram quidem, germanamque Romanae orationis elegantiam desidero; hanc enim homo in scriptorum aevi sequioris lectione diu multumque volutatus, eorum nonnihil colore infuſcaverat; non possum tamen admirari satis cum animi candorem, modeſtiamque, qua sensa aperit sua, tum ingenii subtilitatem plane ſingularem in enodandis, supplendisque hujusmodi

Digitized by Google

antiquitatis reliquiis, injuria temporum depravatis. Neque hoc loco praeteream duos viros e Societate Jesu, elegantioris doctrinae jam tum laude florentes, qui cum Julino de cogitatis, scriptisque suis communicare erant soliti, Hieronymum Tiraboschium, & Guidonem Ferrarium, quibuscum scilicet cognatio ſtudiorum, & morum ſimilitudo magnam illi necessitudinem conciliaverat. Praecipue consulebatur Georgius de ortu, atque originibus familiarum Mediolanensium, quarum nonnullas, amicorum rogatu, a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeravit. Nec vero non eamdam operam familiae praebuit suae, quae a Julino, quod est oppidum in ora Larii situm, nomen nacta, magnam habuit antiquis temporibus apud Rhoetos auctoritatem; deinde inter patricias Novocomi diu floruit; demum Mediolani consedit. Hujus igitur monumenta tam diligenter collecta, quum Caesari ejus filio, natu majori, in promptu essent, nihil hic fere negotii habuit in iis exhibendis Collegio probandisque, quum inter Nobiles Jurisconsultos voluit cooptari.

Digitized by Google

Sed ubi ab antiquitatis ſtudio discessiſset, nulla in re Georgius plus temporis, aut certe libentius, quam in muſica se exercebat, ſic ut unam ex artibus omnibus hanc, tanquam filiolam, videretur osculari suam. Neque mirum: ſit enim fere, ut ad quas artes aptissimi sumus, in iis tractandis voluptate maxima perfundamur. Ipse autem, quum fautricem admodum hac in re naturam habuisset, tantam erat longo usu concinnandae harmoniae facultatem adeptus, ut in paucis aetatis suae numeraretur. Etenim, quae precipuae erant virtutes Sammartinii, harmoniam ſcilicet organicam animare quodam modo, idque apte ad variam inſtrumentorum naturam, ac ſtilum mira ſlosculorum, pigmentorumque, quae audientes delectarent, copia ac varietate conſpergere, in his non inferior, quam magiſter, fuit; hunc vero eundem longe superabat apta rerum distributione, quod erat facile homini ingenio nobili, ac multis litteris praedito. Quare ejus lucubrationes peraeque intelligentibus, ac vulgo probabantur summo opere; atque tantam ubique gentium celebritatem

erant consecutae, uti ex variis Europae partibus, immo vel ex ultima America, nedum ab Italia universa expeterentur. Scribebat autem incredibili celeritate, eratque solitus dicere numquam lucubrationum suarum, quae organis inservirent muſicis, se minus poenitere, quam quum, priusquam ad scriptionem admoveret manum, nihil admodum commentabatur; referens in chartam scilicet quidquid ultro aliud ex alio sese scribenti offerebat. Neque id non vere, ac perite dicebat; etenim si quando ante meditabatur, ejus in mente, qua nihil erat feracius, nimia rerum efflorescebat copia; has vero difficile erat postea ita ordinare, atque disponere, ut ſimplex illud *dumtaxat*, & *unum* efficerent, in quo Horatius primam scribendi virtutem ponit. Praeter quam quod vel ipsa haec copia audientes defatigat, neque perinde admodum delectat,

Idem cum sua, tum aliorum carmina; maxime, quae usui essent ſcenae, quoties occaſio ferebat, notis vestiebat muſicis. Nec tamen ad sublime illud, & grave scribendi genus, atque ad permovendos animos

maxime accommodatum, quod argumenta ſacra & heroica scilicet decet, se umquam adſuefecerat, in quo temporum conſuetudini indulſit; licet haud videretur esse dubium, ſi tentare voluisset in hoc etiam genere quid posset, non mediocrem eum laudem fuisse consecuturum. Id ut faceret epiſtola eum elegantissima, Italicis verſibus conscripta, Juvenalis Saccus Collega meus, impellere est conatus, eo conſilio, ut dum meditando ipse scribendoque ornare atque illuſtrare artem studebat, dabatque operam, ut vitiis mederetur in eam invectis, quae usque eo creverunt, ut multis bonis hominibus vel muſicae nomen ſit invisum, haberent ſimul Mediolanenses muſici unum aliquem auctoritate praestantem civem, ad cujus exemplum tuto possent lucubrationes suas conformare. Id quidem conſilii Georgius vehementer probavit, egitque illi gratias, ut natura erat suavissima, plurimis verbis, quod se illi perficiendo parem exiſtimaverat, non tamen aggredi voluit, excusatione usus maximarum occupationum, quibus obstrictus jam erat, in primisque aetatis jam inclinatae. Qua de

re coram postea cum Sacco colloquens: *utinam, inquit, mihi id negotii aliquis dedisset, quum et magis eram vacuus et ver agebam aetatis; non ſane commisissem, ut mihi hanc quisquam laudem praeriperet. Sed mihi abiit tempus, quo moliri aliquid novi possem: neque enim te ipsum fugit, ſi quando tale aliquid contigerit, ut opus sit contra praejudicatas vulgi opiniones ratione pugnare, et consuetudinem vitiosam artificum, et corruptam pura, et incorrupta consuetudine emendare, quanto id juventuti commodius succedat, quam ſenectuti. Juvenum quippe ſuavitati tribuuntur multa, quae auctoritati senum negantur. Quare horum est moderari, et confirmare, illorum vero exequi, et inchoare.*

Sed illuc redeamus. Magnis quidem, & variis curis aſſidue premebatur Julinus, quae nullum otioso relinquere tempus videbantur. Sed eam iniverat ipse rationem vivendi, ita vigiliis, laboribusque exercitam, atque ab omnibus voluptatibus alienam, ut ei nihilominus quotidie horae subciſivae complures superessent, quas operi illi suo maximo rerum Mediolanenſium reservaret. Has ipse non patiebatur perire; itaque in dies procedendo

ad calcem pervenit. Ex quo intelligi poteſt *eos dumtaxat tempus destituere, qui uti illo nesciunt*. Anno MDCCLX. primum volumen prodiit, post quinquennium prodiit nonum, idemque suscepti operis extremum, cujus quidem universi ratio facile studiosis Julini constabit, modo ut ea legant, quae ipsemet in epistola ad lectorem eſt praefatus, in qua quidquid receperat, religiose praeſtitit; laudes vero singulas referre, etſi hujus esse loci videatur, non tamen aggredimur. Nimis enim esset longum persequi, quot ipse monumenta aut prius incognita in lucem protulerit, aut recepta ab aliis partim falsa, partim dubia oſtenderit, aut obscura illuſtrarit, aut mendis scatentia recensuerit, aut genuinae lectioni reddiderit; ad ſummam quantam ab hiſtoria illorum temporum caliginem dispulerit. Ut mihi non solum praeconium tributum, sed etiam grave clariſſimi viri teſtimonium ei impertitum videatur, quum Petrus Verrius Comes (qui & quantus judex!) in ipso hiſtoriae Mediolanenſis veſtibulo, quam ab exordio urbis contexuit, affirmavit in illo se opere admiratum fuisse, praeter improbos exantlatos

Digitized by Google

labores, ſingularem mentis sagacitatem, atque acre, ſincerumque judicium, a quo ſi quando paullulum deflectit, quod tamen ipsum accidit perraro, facile intellectu eſt, aliquam ei oblatam religionem fuisse. Non me fugit a nonnullis id Julino vitio dari, quod leves quasque res, & minutas diligenter consectatur; sed perperam. Quippe animadvertendum eſt, eo spectasse ipsum potissimum, ut supellectilem monumentorum, quam maxime poterat, lautam & expeditam pararet, et in annalium ordinem digereret, unde sumerent, qui vellent scribere hiſtoriam, proindeque nihil ei admodum praetermittendum fuisse de juribus, de legibus, de inſtitutis, de factis, ſive *Eccleſiaſticis*, sive civilibus, ſive publicis, ſive privatis, quod cuiquam aliquando usui futurum suspicaretur. Ceterum genere orationis est usus, quod nullus quidem flos, neque lumen fere ullum distinguit, non tamen impolito, neque abjecto, sed fuso, atque tracto, & cum aequabili quadam lenitate profluenti; ex quo denique modestus scriptoris atque ingenuus quodam modo animus spirat.

Jam vero statim atque exemplaria operis emissa in vulgus fuere, nae illius magna, non in Italia solum, sed etiam trans Alpes percrebuit fama. Namque per id tempus inter sodales litterarios Umbriae primarios adlectus fuit, & paucis post annis inter Goestingenses, epistolis ad eum missis laudum plenissimis, ſicut in Regiam pulchrarum artium societatem, Parmae haud ita pridem conſtitutam, fuerat adscitus, propter et ejus in muſica praestantiam, et ſingularem etiam, quam in aliis artibus intelligentiam habebat, quippe qui de ſignis quoque, & tabulis judicium facere poterat, ſic, ut ex lineamentis, formis, pigmentisque vel de manu, ſi minus esset nota, sagacissime exiſtimaret. Complures etiam ad eum viri apprime docti, et litterati gratulatum scripserunt, e quibus Labrettus a Bibliotheca Ducis Wirtembergenſis ei praeterea ſignificavit se Hiſtoriam Mediolanensem Germanica oratione scriptitare adortum esse, eumque per quinque illa saecula unice auctorem sequi. Neque vero non magnam a civibus suis gratiam iniit; quippe qui honorificentissimo

Decurionum diplomate Patriae Historicus est appellatus, et aliquanto post civicis tabulariis constituendis praefectus. Ac tantam quidem ejus integritati, prudentiaeque habuerant fidem, ut ei permitterent eligere, quem vellet, adjutorem sibi, et successorem dari; quam sane ipse non fefellit: elegit enim virum optimum, et experientissimum, Ignatium Lualdium, Sacerdotem Placentinum, cujus in exequendo illo munere opera magni aestimata semper fuit; nos autem non sine quodam grati animi sensu meminimus, propterea quod magnam monumentorum partem, quae ad declarandam Julini vitam pertinent, nobis suppeditavit. Sed tum demum Georgius putavit se pulcherrimum studiorum suorum fructum tulisse, quum Regio diplomate ad Franciscum I. Mutinensium Ducem, et Praeſidem Insubriae Auſtriacae dato, immortalis M. Thereſia Augusta, illius ſibi operis munus acceptum ac perjucundum fuisse humanissimis verbis declaravit, jussitque Scriptori benemerito (ſic enim eum appellat) penſionem quotannis ex aerario solvi, dum opportuna se occasio offerret aliquo eum dignitatis gradu honeſtandi,

Digitized by Google

quo nobilium adolescentium ingenia ad utilia quaeque studia excolenda aemulatione illius excitarentur. Quo sane potentissimae ac sapientissimae Reginae testimonio, ut nihil ei honorificentius, sic nihil esse poterat verius. Nam documento revera Julinus fuit, ſi quisquam alius, *Patriciorum ſtudio* (ut praeclare de eo pronuntiavit Guido Ferrarius) *inclareſcere plurimum civitates poſse, ſi non levitate, aut otio obruantur mentes, ſed virtute, et conſilio praeſentem, doctrina & monumentis praeteritam Patriae gloriam proferre ſtudeant, commendentque nepotibus.*

Sed unum instar omnium judicium eſt sapientissimi, ac glorioſissimi viri Principis Chaunitii, supremi rerum Auſtriacarum adminiſtri, cui quidem tanti illud opus fuit, ut e re publica exiſtimaverit fore, ſi continuaretur. Itaque ad Carolum Firmianum Comitem, in Insubria plena cum poteſtate adminiſtrum, litteras miſit cum mandatis, ut ad se Julinum arcesseret, & poſtquam de ſingulari sua in eum voluntate certiorem feciſſet, suis verbis exhortaretur etiam atque etiam, ut opus illud ad duo saltem consequentia sae-

cula proferret, quae quod propiora sunt nobis, noſtra etiam magis refert cognoſcere; atque id quo facilius faceret, pecuniam etiam, ſi qua opus eſſet, auxiliique omne genus, ac nova praemia polliceretur. Haec mandata Firmianus Comes ut accepit, nihil quidquam maluit, quam conficere, ut pote cui & res nihilo minus erat cordi, et erat Julinus cariſſimus. Hic autem tantorum hominum, quos patronos, fautoresque ſtudiorum ſuorum colebat, & comitate victus, & auctoritate permotus, licet videbatur ſibi, quaſi decurſu ſpatio, a calce ad carceres revocari, rem non recepit modo aequo animo, ſed totis etiam viribus (quae ei in nitendo, quod ſemel admiſerat, cura eſſe conſueverat) praeſtitit, nulla ne valetudinis quidem habita ratione, ſic ut quum materiem omnem in quatuor ipſe volumina diſpertiiſſet, horum priori jam anno MDCCLXXI. extremam manum impoſuerit. Hujus autem exemplaria formis excuſa Viennam, ut ſolebat, tum M. Thereſiae Auguſtae, ejuſque Regiae ſoboli, tum Aulae proceribus, in primiſque Principi Chaunitio muneri miſit, cujus reddi-

tae ſunt ei litterae paullo post favoris, benevolentiaeque notis inſignes, quae et quanti illum faceret, et stipendium ei in annos ſingulos adauctum fuiſse ſignificabant; ſic tamen, ut quaecumque patriae notitiae intereſsent reipublicae, eas ipse, quotiescumque juberetur, suppeditare deberet. Quod et fecit. Complura enim deinceps mandata hujus generis accepit, primo ut librorum, in quibus quoque modo de rebus Insubriae politicis, civilibus, aeconomicis sermo esset, indicem contexeret, quam absolutissimum posset, ut illis omnibus bibliotheca inſtrueretur, quae est in aula Viennenſi, ad usum illorum, qui a conſiliis aut a secretis Aug. sunt pro rebus Italiae, deinde ut monumenta diligenter colligeret, quae ad historiam contexendam pertinerent Sacerdotiorum omnium, quae in provincia Austriaca Cispadana reperiuntur, ut quibus temporibus, et a quibus ſive Regibus, ſive Imperatoribus, ſive Episcopis, ſive liberis civitatibus fundata, patrimonio aucta, aut instaurata fuerint, appararet; ad ultimum, ut inquireret potissimum sacerdotia id genus, quas *Abbatias* vocant, quemadmodum

a do-

a domibus religioſis, ad quas pertinebant antiquitus, quibusque temporibus fuerint alienata. His autem omnibus, ut ex litteris apparet ad eum datis a Joſepho Spargelio Dynaste et eximio litterarum non patrono solum, sed etiam cultore, cumulate satisfecit; quantum ſcilicet ab eo expectari par erat, qui accuratiſſime antiquitatem omnem, noſtratem praeſertim, babebat cognitam.

Verum propter aſſiduos, & immoderatos labores, valetudine ſenſim labefactata, morbo correptus eſt, quem apoplexin vocant, XI. Kal. Februarias anno MDCCLXXIV. quem debilitas ſiniſtrae corporis partis, non ſine quodam ſtupore mentis, atque ſensuum, eſt conſecuta. Quo periculo licet diutina, et diligentiſſima curatione evaſerit, a medicis nihilominus juſſus eſt, libris omnibus, negotiiſque abjectis, omne ſuum ingenium conferre ad ſe ſibi, ſuiſque reſervandum. Horum conſiliis, quamvis invitiſſimus, dicto audiens fuit. Sed in urbe lente admodum quum convaleſceret, eſſetque otioſus, anno tepeſcente, in villulam ſe recepit, ubi ſalubritate coeli, & corporis motu, in primis-

que remiſſione animi factum eſt, ut amissas vires revocaret. Nihil tamen agere non poterat diutius, homo semper agere aliquid a prima assuetus aetate; itaque hujus vitae paucis poſt menſibus pertaesus, Mediolanum remigravit, & medicis omnibus dimissis, rursus se in litteras totum abdidit. Sed novum illud opus, de quo paullo ante diximus, nequivit absolvere, ejusque volumen quartum inchoatum reliquit. Rursus enim anno MDCCLXXVII. in eundem morbum incidit, sed longe graviorem, vehementioremque, ſic ut memoria rerum retenta, quo suo quaeque vocabulo proprio, ac certo appellarentur, plane dedidicerit. Quo fiebat, ut si qui eum convenirent, fere collacrymaret, dictaque ejs salute, subito obmutesceret. Quod nescio, ipſi ne moleſtius foret, an amicis, qui non hominis modo cariſſimi caussa, sed etiam sua angebantur plurimum; propterea quod prudentiſſima ejus, & plena litteratae senectutis oratione carebant. Recordabantur enim nunquam se cum illo antea congreſſos fuisse, quin doctiores diſceſſerint. Nam quamdiu eſt commode locutus, quicumque ser-

mo incidisset, ſive de geometria, ſive de philosophia, ſive de legibus, ſive de antiquitate, ſive demum de ingenua quaque disciplina, nulla ex parte imparatum eum offendere; sed contra tum ejus multiplicem exquiſitamque doctrinam, tum miram facilitatem, quaecumque ipse naturali quodam bono, longoque studio acquiſiverat, impertiendi ceteris, consueverant admirari. Id quod scriptum de se ipso reliquit praesertim Sebaſtianus Rovida Navarienſis, Doctor philosophiae, ac Medicinae cum primis nobilis, in epiſtola, qua Julino opusculum inscripſit, in quo effigiem solaris eclipſis ovo gallinaceo, in obscuratione solis apud Seſſitem edito, ad vivum natura impressam, ſi minus vera, at certe veriſſimillima ratione explicavit. Igitur quum non amplius lectionibus, aut scriptionibus vacare ipse posset suis, neque litteratos cum amicis conferre sermones, quibus jampridem unice delectabatur, reliqua ei nulla erat animi relaxatio, praeter quam sonorum, atque concentuum, quibus fere quotidie ac tum maxime, quum in iis se liberi ejus exercerent, intererat libentissime. Namque

aurium sensu, vel post illam calamitatem, acerrime semper eſt usus; atque ita, ut ſi quid vel minimum peccatum esset, sentiret ipse ſtatim, & voce, ut poterat, ac nutibus ſignificaret; ſin suavius aliquid, modulatiusque symphonia canebat, exilire pene gaudio videretur.

Res tamen nulla, in tam iniqua vitae conditione, perinde recreabat Julinum, ut cariſſimae, atque amantiſſimae conjugis aſſiduitas. Haec enim, nemini satis ſidens, ipsamet die noctuque curabat eum diligentiſſime, fere pedem, quoad ille superfuit, non efferens domo; quadriennium scilicet. Eadem rem familiarem prudentiſſime adminiſtrabat. In primis vero mira omnibus nobilissimae matronae patientia videbatur, quum viri deſiderio, quo se hic vehementer teneri nutibus ſignificarat, morem ut gereret, diviniorem illam supplicandi formulam, quam Chriſtus ipsemet tradidit, senem lingua haeſitantem, obſtupescentem, obliviosum, ut sedula matercula puerum trimum, aut quatrimum, syllabatim edocebat. Atque eo tandem, licet aegre & difficulter, deducta res eſt, rursus

ut integram memoriter pronunciaret ; quod faciebat nunquam ſine ſingulari animi ardore, & intima quadam ſpiritus dulcedine, quae vel ex ore ſpirabat, & quin illa adesset, a qua, ſicubi forte errabat, corrigeretur. In quo vehementer dubito, utrum majoribus efferam laudibus, patientiam ne, et pietatem magiſtrae, an diſcipuli modeſtiam, atque religionem. Quam quidem tum etiam ferebat prae ſe maxime, quum uxorem, & liberos ſuos a rebus divinis domum redeuntes exciperet. Nam manibus porrectis, & complicatis, collacrymansque indicabat, quam intimis angeretur ſenſibus, quod ad illas accedere morbo prohiberetur. Ceterum quum in horas ſingulas impendere ſibi mortem intelligeret, hanc habebat ſemper ante oculos; & conſcientia bene actae vitae sustentatus, tanquam non ex vita, ſed ex diverſorio quodam eſſet migraturus, quo Chriſtianum hominem decet, aequo atque alacri animo expectabat. Quo factum eſt, ut inſcientem quidem, non tamen imparatum eum oppresserit. Perculsus fuit tertio apoplexia in pervigilio Nativitatis Dominicae an. MDCCLXXX.

quum in eo eſſet, ut pransus e mensa surgeret; atque ita male eſt habitus, ut vocem omnino, et sensum amiserit. Paucis poſt horis febricula accessit, quam sperabant medici, ut in illo morbo, aliquam aegroto levationem allaturam. Falso; nam poſt biduum animam efflavit. Elatus est ad S. Thomae, ibique juſtis funerum persolutis sepultus in monumento familiae, cujus lapidi hic titulus inscriptus eſt.

MEMORIAE . AETERNAE
GEORGII . GIULINI
COMITIS . VIALBAE . VILLAEQ. PIZZONI
PATRICII . MEDIOLANENSIS
HISTORIOGRAPHI . PATRIAE
TABULARIISQ. CIVICIS . PRAEFECTI
IN . QUO . FUERE
INGENIVM . DOCTRINA
MODESTIA . RELIGIO
ABUNDE . OMNIA . LAVDE . DIGNA
OB. VIII. KAL. IANUAR. MDCCLXXXI.
AET. LXVI,
H. M. H. S.

Duos ſilios, Caesarem I. C., qui ab hinc triennium Annam e nobiliſsima Vermiorum Familia habet in matrimonio, et Josephum reliquit; tresque ſilias, quarum duae se Virgines Deo sacrarunt, tertiam Francisco Bossio Vicecomiti, adolescenti primario, cujus ab obitu hic tertius est annus, collocaverat. His nihil a Georgio unquam defuit, quod esset ab optimo juxta & amantiſsimo parente expectandum. Neque sane admonitionibus solum, praeceptisque sobolem inſtruere ad omne officii genus ſtuduit ipse semper, sed etiam praeclaris exemplis, ſine quibus verba inania fore intelligebat. Nam quum nihil sanctius ſingulis ejus actis, tum nihil perpetua vitae consuetudine erat innocentius, nihil laborioſius.

Bene mane e lectulo quotidie surgebat; hieme vero ante lucem continentem saltem horam precationi dabat, fere in aeternarum rerum se meditatione exercens. Mox incumbebat ad ſtudium; idque semper intentione animi tam vehementi, nihil ut ei pene cum senſibus esse videretur. Non interventu alicujus, non interpellatione, non etiam ſtrepi-

tu facile afficiebatur. Hibernis temporibus igne non indigebat, neque, quod magis mirere, ad magnitudinem frigorum remedia alia comparabat. Meridie ad templum itabat, & sacro intererat, quod facere nullum diem praetermittebat. Hinc se referebat ad ſtudium, donec discumbendi ſignum daretur, quod accidebat saepius, ut ipse non audiret; proindeque, quod apud Donatum de C. Laelio tradit Nepos, admoneretur ab uxore, temporius ut discumberet: usque adeo lectionibus ipse, & commentationibus interdum abſtrahebatur; maxime si quando plus solito ſibi in scribendo succedebat. In convivio licet de sua illa hi hilaritate juvenili multum decerpſisset, ut ante docuimus, non tamen se tristem, aut cogitabundum praebebat; sed & familiariter jocabatur ipse aliquando, & aliorum jocis arridebat; urbanis illis scilicet et ingenuis, nunquam scurrilibus, neque in quemquam injurioſis. Namque eos adhibebat convivas, quorum mores a suis non abhorrerent. Sed, quoad fieri ſine moleſtia convivarum poterat, sermones de rebus seriis inducebat libentius, eosque unam amplius

horam a prandio producebat. Hinc rurſum in bibliotheca latitabat usque ad vesperum. Tum vero prodibat domo, et postquam ſuae in Deum, & Superum aliquem, cujus dies feſtus agebatur, in aliqua ſacra aede, religioni feciſset ſatis, amicos conveniebat; in his frequentius duos ſenes, quibuscum vetus ei neceſſitudo intercedebat, Joannem ſcilicet Conradum de Olivera Marchionem, eundemque Senatus Mediolanenſis Praeſidem, virum integritate, atque auctoritate plane ſingulari, & Cloeliam Grillam Borromeam, celeberrimam illam primariam feminam, ſcientiarum, & liberalium artium omnium, praeter muliebrem conditionem, intelligentem atque ſtudioſam. Horum uterque quotidie, ut moris eſt, illuſtres nobilium virorum feminarumque conventus prima nocte habere conſueverat. Intererat his interdum Julinus; plerumque vero matutinis, et pomeridianis commentationibus non contentus, nocturnas addebat. Idem octavo quoque die ad poenitentiae, et Euchariſtiae myſteria accedebat. Decretis Chriſtianae Reipublicae, etiam quae ad disciplinam, caerimoniasque pertinent,

religioſe obtemperabat. Quicumque opis suae indigeret, ei, quoad facere poterat, pecunia, conſilio, opera praeſto erat.

Modeſtiae vero nullum adferre majus teſtimonium poſſumus, quam quod, licet ingenii, doctrinaeque laude floreret maxime, tamen pudore quodam pene subruſtico, deterritus est semper, quominus Firmiano Comiti, in cujus ceteri gratiam irrepere ambitiose certabant, quotquot doctrina vel mediocriter essent instructi, se sistere auderet prius quam fortuito fuerit ei de facie cognitus, atque ultro accersitus. Quod ita evenisse accepimus. Invitatus fuerat Julinus a Theresia Pinotina, muſices scientissima, sorore Cajetanae Agnesiae mathematicae, quam haec non modo urbs, sed aetas tulisse semper gloriabitur, ad conventum quemdam psaltriorum atque cantorum, quem domi suae illa habebat. Huic aderat etiam Firmianus Comes; qui cum ibi Julinum offendisset, et praeclare fidibus canentem audiret, ad eum qua erat comitate ſingulari, accedit. Ei gratulatur; quod gravissimis studiis, in quibus excellebat, leviores etiam has artes tanta cum

laude adjungeret; deinde ſuavissime conqueritur, quod ad se venisset numquam, idque ut facere quam primum commodo suo posset, ne gravaretur, rogat. Ivit postridie mane Julinus, atque multis verbis ultro citroque habitis, eo tandem de industria, sermonis cursu, ille devenit, ut diceret, editionem Monumentorum Mediolanenſium plus quam oporteret differri, seque opus illud jam pridem expectare vehementer. Cui noſter, cum maturaturum se recepisset, ex eo die tanta apud celeberrimum illum Musarum omnium Patronum gratia floruit, ut anteferretur ei nemo, pauci pares ponerentur. Hac vero gaudebat sane Julinus, nunquam tamen uti voluit; ne tum quidem quum ei usu venit, ut vel damna fundis suis injuſta, & gravia essent illata, vel voculis malevolorum (neque enim obtrectatores viro tam illustri deesse poterant) rationibus ejus offiiceretur. Ipse enim erat is, qui neque laederet quemquam, neque ſi injuriam acciperet, non pati mallet, quam ulcisci, aut etiam propulsare, Quod est ſignum animi non modesti solum, sed etiam lenis, ſibique met ipſi imperantis.

Atque erat ipse quidem, ut accepimus, ad iram, & aegritudinem natura proclivis, ut fere ingeniosus quisque esse solet; ſic tamen has animi perturbationes adsueverat ratione cohibere, nemo ut illum neque irascentem, neque nimio moerore demissum unquam viderit. Lacessitus etiam acerbiori aliquo dicto, tantum abest ut par pari ipse referret, ut potius, dolore omni dissimulato, serena fronte, & verbis quam suavissimis responderet. Quod ſi adverſi aliquid ei nec opinanti accidisset, aut esset relatum, quantumvis intime angeretur, manum ad frontem admovebat tantum, et in cubitum innixus, suo cum animo paullisper cogitabat, itaque se brevi colligebat. Nunquam aut cum parentibus, aut cum uxore in gratiam rediit; nunquam cum quopiam suorum in ſimultate fuit; et ſi qua forte inter eos querimonia intercedebat (non enim boni viri, quique inter se amant, unum semper, idemque sentiunt) pro concordia domestica, qua nihil habebat potius, nullum ipſe ſumptum, nullum incommodum aut refugiebat, aut deprecabatur. Ultimis vero temporibus homo lenissimus, ac

Digitized by Google

patientissimus non nihil morosus evaserat; nam quidquid non ex ejus sententia cadebat, aut ab aliis fiebat, conquerebatur facile, & iis etiam exprobrabat, quos habebat carissimos; idque non tam vitio senectutis, quam teterrimi morbi, cujus vi fuerat vehementer conflictatus: adeo verum est, in fragili corpore omnem offensionem odiosam esse. Sed enim, ut iram colligebat temere, ſic etiam ponebat, quaſi puer; et ſimul ac se remiserat, petere errati veniam solebat.

Sed quum a litibus omnibus, tum a litterariis potissimum, alienum semper animum praesetulit. Quod quidem perilluſtre fuit, quum celebris illa exarſit controversia inter Transformatos plerosque, & Paullum Onuphrium Brandam, Eloquentiae Professorem in Collegio Alexandrino Mediolani, hominem optimum, quique in litteris consenuerat, interioribus illis quidem, atque reconditis, sed paullo acriorem, et nimis fortasse solitarium. Huic res erat cum ingenioſis sane, & litteratis hominibus. Itaque pugnatum est utrimque diu, & acerrime. Quam pugnam commissam fuisse, ſi litterarum bonum spectemus, satis justa caussa est laetandi, nam

Digitized by Google

opuſcula hinc et illinc prodiere cum docte, eleganterque conſcripta, tum multo sale condita; ſin dissidii animorum ratio ducatur, quo non tantum ad subamaros jocos ventum est tandem, sed ad convicia etiam, & probra, quae nihil ad rem, sane eſt magnopere dolendum. Inter has turbas mira fuit Georgii quies. Habebat ipse quidem carissimum Transformatorum coetum, ut demonſtravimus supra. Suspicabatur praeterea se se quoque aliqua ex parte petitum a Branda fuisse, propterea quod vernacula lingua, quam hic scriptioni minus aptam asserebat, carmina aliquot, animi caussa, confecerat, e quibus festivissimum illud est habitum, ubi quemadmodum Anacreon Bathyllum, puerum venustissimum, sic ipse jocans turpi e contrario, et perridicula forma puellam, a pictore exprimi in tabella jubet: nihil tamen quidquam aut dolori suo, aut studio partium indulſit. Quin etiam, pacis semper auctor, gavisus est vehementer, quum publica auctoritate bello illi litterario est finis tandem impoſitus. Sic se gerentis minime est mirandum, ſi et vita ejus fuerit tranquilla, & mors bonis omnibus luctuosa.
Digitized by Google

OPERA EDITA.

Memorie spettanti alla Storia, al Governo, ed alla descrizione della Città e della campagna di Milano ne' secoli bassi raccolte, ed esaminate dal Conte Giorgio Giulini. In Milano nella Stamperia di Giambatista Bianchi, in 4. Octo Voluminibus opus absolvitur. His tamen nonum adjectum est a Julino, in quo et additamenta complura, et emendationes priorum continentur, tum index attexitur rerum memorabilium, locupletissimus, iisque, qui universum opus perlegere noluerint, plane necessarius.

Continuazione delle Memorie spettanti alla Storia, al Governo, ed alla descrizione della Città e della Campagna di Milano ne' secoli bassi, raccolte, ed esaminate dal Conte Giorgio Giulini. In Milano nella Stamperia di Giambattista Bianchi. in 4. Tria dumtaxat hujus Operis volumina sunt edita, quorum primum ab anno MCCCXI. incipit, quo anno Reipublicae Mediolanensis potitus est Matthaeus M. Vicecomes; tertium vero desinit in annum MCCCCXLVII.

Di Giulia Drusilla, figliuola di Germanico, Dissertazione del Conte Giorgio Giulini. Extat in Volumine Collectionis Mediolanensis edito apud Antonium Agnellum anno MDCCLVI.

Sopra l' Anfiteatro di Milano. Ragionamento del Conte D. Giorgio Giulini. Extat cum separatim, tum in Volumine Collectionis Mediolanensis edito apud Antonium Agnellum anno MDCCLVII.

In morte del Conte Giuseppe Maria Imbonati Conservatore perpetuo dell' Accademia Milanese de' Trasformati. Orazione del Conte Giorgio Giulini recitata nell' Accademia il dì

primo Settembre 1768. Edita fuit anno post Mediolani una cum lectissima carminum Collectione, quibus Transformati certatim obitum Imbonati Comitis defleverunt, ejusque memoriam summis laudibus honestarunt.

Rime. Pauca admodum e multis carminibus Julini mihi contigit videre; cum pene evanuerint libelli, in quibus edita fuere. De illis igitur, quum haud possem egomet, nisi temere, judicare, percontatus sum ab aequalibus ejus, aestimatoribus harum rerum non solum peritis, sed prope fastidiosis, accepique non ad unguem ea quidem expolita esse, sed singulari tamen facilitate, et prudenti judicio conscripta, non sine lepore quodam nativo. Saepius in alienas Collectiones versus suos conferebat ipse, veluti symbolas, nonnunquam vero ab amicis id officii reposcebat; idque in primis fecit, ut duabus coniugis suae sororibus gratificaretur, quum has simul sacro Virginum coetui dederunt nomen, eidemque postea solemni se sacramento addixerunt. Harum Collectionum, quarum prior anno MDCCXLIV. vulgata fuit, altera anno consequente, meminit Quadrius Vol. VII., in iisque complures Julini lucubrationes varii metri, pulcras illas atque venustas, extare testatur.

OPERA INEDITA.

Sopra il riso. Cicalata del Conte Giorgio Giulini recitata nell' Accademia de Trasformati del Carnovale dell' anno 1744.

Sugli Anelli degli Antichi dalla loro origine fino alla fondazione di Roma. Dissertazione Storica.

Il Prodigo. Commedia, recitata l' anno 1745.

La Fantasima. Commedia recitata l' anno 1746.

La Bottega del Caffè, recitata l' anno 1748.

La-

Lavinia. Tragedia, recitata l' anno 1748.

L' Alcimeone Tragedia recitata l' anno 1750.

De antiqui marmoris fragmento, ubi Arvalium Fratrum Fasti deſcribuntur Epiſtola Georgii Julini ad Joann. Andream Tricum Ambr. Bibliothecae Praefectum.

Delle Mura, e fortificazioni antiche di Milano.

Memorie spettanti alla Città, e Campagna di Milano; secondo i tempi, cominciando dall' anno di Roma 155.

Della Scultura delle gemme presso gli antichi.

Spiegazione di un Cammeo antico rappresentante Giulio Cesare.

Osservazioni sul Capo I. del Libro XXXIII. *dell' Istoria Naturale di Plinio.*

Della venuta degli Etruschi, e degli Umbri, e in seguito degli Insubri.

Ragionamento sulle leggi, che riguardavano i falliti.

L' Oracolo. Serenata per musica tratta da una farsa Francese del Sig. Saintfoix dal Sig. Conte Pietro Verri, e posta in Musica dal Sig. Conte Giorgio Giulini. 1775.

L' Ombra d' Augusto. Cantata per Musica del Sig. Conte Giorgio Giulini per la nascita di S. A. R. l' Arciduca Massimiliano d' Auſtria.

La Costanza di Scipione Africano. Dramma per Musica.

Rime, e lettere.

Sonate.

Il fondatore di Lisbona. Cantata a quettro voci pel giorno Natalizio di S. M. Fedelissima Giuseppe Re di Portogallo. Poesia e Musica del Sig. Conte Giorgio Giulini.

Raccolte di Notizie intorno a' Vescovadi alle Abazie, Prepositure, e altri Benefizj dello stato di Milano. Parte I. de' Vescovadi del presente stato di Milano, previlegiati. ed arricchiti dai Sovrani di esso. Parte II. Intorno alle Chiese e

Cappelle, ed a Benefizj fondati dalle Città dello Stato di Milano. Parte III. Intorno a luoghi Pii fondati, ed arricchiti dalle dette Città e dai Sovrani, e dai Pubblici.

Raccolte di Notizie intorno alle fondazioni originarie delle Abbazie, e Benefizj della Lombardia Austriaca, che successivamente furono secolarizzati, e passarono in Commenda.

Continuazione delle Memorie spettanti alla Storia, al Governo, e alla Descrizione della Città, e della Campagna di Milano ne' secoli bassi, raccolte, e spiegate dal Conte Giorgio Giulini Tomo IV. Hoc volumen primis tantum lineis informatum, ut ita dicam, morte interceptus reliquit, perinde fere atque alterum opus *de Annulis Veterum*, quod Latine scribere instituerat. Hujus enim habemus tantum adversaria cum hac *epigraphe*: ΞΥΜΜΙΚΤΑ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΔΑΚΤULIΩN; in quibus uberrimam silvam rerum, et prudentissimam capitum distributionem admiramur.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 30. l. 8. Vaticaniis	Vaticanis
P. 198. l. 9. dissemere	disserere
P. 232. l. 24. 83.	830.
P. 272. l. 6. littera	litteras
P. 303. l. 14 fortunatissimum ejus natale	fortunatissimus ejus natalis
P. 310. l. 23. *adde*	Pars II. cum eodem titulo in Padova 1719. presso Giuſeppe Comino.
P. 339. l. 4. accepisset	accessisset
P. 343. l. 14. amphytheatro	amphitheatro
P. 350. l. 22. ſa	ſe

INDEX VITARUM

Quae in hoc volumine XIII. continentur

Joannes Bona Card.	pag. 7.
Leopoldus Andreas Guadagnius	46.
Caſtruccius et Philippus Bonamicii Fratres	80.
Petrus Jannonius	127.
Juſtus Fontaninius	202.
Jo. Antonius Uulpius	270.
Sertorius Orſatus	303.
Georgius Julinus	321.

Digitized by Google

INDEX RERUM PRAECIPUARUM

QUAE IN HOC XIII. VOLUMINE CONTINETUR.

A

ACherius Lucas 29. Aegyptius Matthaeus 161.
Agnellus Andreas 206.
Alberonius Card. 85.
Alciatus 339.
Alexander VII. 12. 14. 15.
Alexandra Lycophronis 63.
Althanius Card. 140. 141. 152.
Ambroſii S. fortitudo 346.
Amphitheatrum Mediolanenſe 343.
Amatus Cajetanus 107.
Anaſtaſius Philippus 153.
Acquaviva Card. 88.
Argentus Cajetanus 129. 139. 145.
Ateitinorum jura 224.
Averanius Joſephus 47. 51.
Auguſtinus S. ubi conditus 241.
Aulıſius Dominicus 128. 132.
Azzonius Joſephus.

B

BAlutius Stephanus 30. Baptiſmi ritus 259.
Belli Veliterni hiſtoria 87. Italici 91.
Belleliius Fulgentius 243.
Bembus Petrus 77.
Benedictus XIII. 155. 165. 227. 235. 237. 240. 242.
... XIV. 90. 104. 107. 251.
Beneventanus Archiepiſcopatus 165.
Blanchius Jo. Ant. 188.
Bullandiſtae 31.
Bona Jo. Card. ejus vita 7. ſtudia 9. munera 12. mores 14. 17. 20. 32. Cardinalis creatur 15. opera 20. et. ſeq. mors 32.
Bonamicii Fratres Caſtruccius & Philippus illorum vita 80. illius orationes 84. 96. hiſtoria 87. mars 97. hujus opera 104.
Bonarrotius Philippus 247.
Borbonius Carolus Rex. 87. 98. 167.
.... Philippus 94.
Borromeus Card. 110.
Brunius Petrus 248.

C

CApaſſius Nicolaus 134. 159.
Capius Jo. 165.
Capponius Ferrantes 58.
Carolus VI 149. 150. 227.
Carrarius Hieronymus 27.
Caſtellius Regens 163.
Ceſſiſius Jo. Bapt. 272.
Cenſorie leges quae? 49.
Chantelovius Claudius 29.
Chaunitius Princeps 366. 368.
Chiſius Fabius Card. 11. 12.
Clemens IX. 15.
..... X. 19.
...... XI. 155. 205. 209. 224.
...... XII. 84. 165. 242.
..... XIV. 110. 112.

Colloredus Fabius 105.
Columba S. 240.
Columna Card. 109.
Comaclum ad quem pertineat 224.
Combefiſius 30.
Cordis Jeſu cultus 249.
Corſinius Card. 83. 109.
Coſcia Card. 165.
Cotelerius 29.
Cremanus Aloyſius 37.
Cujacius 62.
Cyrillius Nicolaus 133.

D

De Ecolonia 20.
de Doctoribus Carolus 315.
Druſilla Julia 339.
Dukius Arthurus 120.

E

Emaldius Thomas 107.
Etruſcorum antiquitates 198. 219.
Euchariſtia ejus ritus 25.

F

Fabulae quid contineant? 265.
Facciolatus Jacobus 49. 284. 288.
Falconia Proba 222.
Faltonia Proba 222.
Farſetius Joſephus 263.
Ferrarius Guido 357. 366.
Firmianus Comes 366. 378.
Flamma Galvaneus 352.
Fontana Franciſcus 299. 319.
Fontaninius Dominicus 253.
..... Juſtus ejus vita 202. ejus diſſertatio de maſnadis 203. alia opera 205. & ſeq. eloquentiam Romaae docet 209. Germonium confutat. Tillemontium defendit 215. ejus opus de Italica eloquentia 217. de Hortano 219. de juribus Rom. Pont. in Comaclum 224. in Parmam et Placentiam 231. de Bibliotheca Imperiali 227. de codice S. Marci 228. de corona ferrea 229. ejus vices et munera 234. 236. Gratiani decretum vulgat 238. de S. Columba diſſerit 240. de ſepulcro S. Auguſtini 241. de S. Petro Urſeolo 243. de diſco votivo 246. de litteraria Forojulienſium hiſtoria 251. Mors 252, mores 248. laudes 259.
Forojulienſium hiſtoria litteraria 250.
Fortius Cajetanus 105.
Furietius Alexander 105.

G

Garellius Pius 149. 167.
Garofalus Blaſius 147. 157.
Gattius Ant. 215.
Genebrardus 5.
Georgius Dominicus 237.
Germonius confutatus 210.
Goarius Jacobus 5.
Gorius Ant. 58.
Gouſſainvilleus Petrus 30.
Graevius Georgius 306.
Gratiani decretum vulgatum Romae 238.

Gratiolius Petrus 344.
Grandius Guido 82.
Gregorii S. libri morales editi 245.
Grimaldius Conſtantinus 152.
Guadagnius Leopoldus ejus vita 46. ejus opus de legibus Cenſoriis 49. magiſter creatur 51. ejus commentaria in Inſtitutiones Imperiales 53. opus de Pandectis 58. 60. orationes 51. 64. mores 68. mors 70
. . . . . Carolus 69.
Guaſtaldius Joſephus 176.

H

HArduinius Jo. 212.
Harrachius Comes 156.
Hermantius emendatus 346.
Hiſtoriae laudes 71. Qui latine illam ſcripſerunt 78. quomodo tractanda 119.
Hettanae antiquitates 220.

I

JAnnonius Petrus 122. ejus vita 127. ſtudia & exercitationes 129. hiſtoriam ſcribit 130. 134. & ſeq. cauſſas agit 130. ejus vices 141. Viennam concedit 142. ejus opus de triregno 151. 173. confutatur 153. et ſeq., Profeſſionem fidei emittit 188. Paulio reſpondit 161. ejus liber de Dicaſteriis 163. Vienna diſcedit 167. Venetiis 171. Mediolano 172. Genevam conceſſit 173. comprehenditur 177. ejus ſcripta dum erat in vinculis 178. & ſeq. retractatio 181. mors 189. mores 192.
Jannetaſius Partenius 131.
Jeſuitae 19. 31. 152. 169. 214. 241. 255.
Imbonatus Joſephus 336. 337.
Imperialis Card. 203. 227.
Joſephus I. 224.
Julii Caeſaris gemma explicata 348.
Innocentius XI. 114.
. . . . . . XII. 204.
. . . . . . XIII. 235.
Julius II. 165.
Julius Caeſar 319. 357. 375.
. . . . Georgius ejus vita 321. ſtudia de antiquis rebus 326. 340. de muſica 354. 359. mores 327. 330. 377. munera 355. 365. carmina et dramata 338. opus de rebus Mediolanenſibus 344. 351. 362. de gemmis anullariis 347. mors 374.
Juris civilis hiſtoria 38. & ſeq.
Juſtinianus quid egerit in condendo jure 41.

L

LAbbeus Philippus 30.
Labrettus 364.
Laderchius Jacobus 215. 237.
Lamius Jo. 78.

Lantius Aloyſius 199.
Lazzarinius Dominicus 85. 215. 276. 285.
Liturgicarum rerum ſcientia commendata 2. a Bona Card. illuſtrata 4. 20. 22. ab aliis 5.
Lualdius Ignatius 365.
Lucchefinus Vincentius 80. 105.
Ludovicus XII. 165.
Lupus Chriſtianus 31. 205.

M

Mabillonius Jo. 3. 24. 26. 29. 205. 210.
Macedo Franciſcus 25.
Maffeius Scipio 218. 308.
Malcreda Laurentius 316.
de Marchia Jacobus 205.
Mazzolenius Angelus 323. 344.
Mazzuchellius Jo. Maria 351.
Mediolanenſium amphitheatrum 344. hiſtoria 35.. et ſeq. 362.
Migliorius Cajetanus 196.
Miro Abbas 147.
Monelia Ferrantes 47.
. . . . . . Thomas 239.
Montanarius Geminianus 315.
Montecatinius Jo. 104.
Montfauconius 228.
Morcellus Stephanus 348.
Muratorius Ludovicus 218. 225. 230. 325. 352. 354.

N

Nasoniorum Sepulcrum 311.
Neapolitani Regni hiſtoria 131.
Noriſius Card. 205. 250. 313.

O

Odescalchii Livius et Victoria 1.0.
Oganius Jacobus 160.
Olmeta Salvator 82.
Orſatus Jo. Antonius 310.
. . . . Sertorius ejus vita 303. ejus opus de notis Romanorum 305. de monumentis Patavinis 308 et ſeq. de marmoribus eruditis 310. de ſepulcro Naſoniorum 311. ejus mores 312. mors 315.

P

Palatina Societas 324.
Pallavicinus Card. 22.
Pallium 206.
Pamelius Joſephus 4.
Pandectarum hiſtoria 58.
Panzinius Leonardus 126.
Papia quare sic dicta 243.
Parmae et Placentiae dominium 231.
Parinnus Joſephus 336.
Pafferonius Jo. 336.
Paſſioneus Dominicus 216.
Paulius Sebaſtianus 160.
Perſius Cyrus 206.
Petitdidierius Matthaeus 248.
Piſanius Angelus 168. 171.
Polcaſtrus Jo. Dom. 308.
Polignachius Card. 84.
Preverius Jo. Bap. 180.

Q

Quadrius Franciſcus 336. 338.

R

Regalia 250.
Renaudotius Euſebius 27. 205.
Riccius Ludovicus 336.
Rubeus Bernardus 252.

S

Saccus Juvenalis 360.
Salvinius Antonius 48.
Sanfelicius 156.
Sancius 159.
Savinius Guido 71.
Sarpius Paullus 170.
Sibilliatus 285.
Stajus Benedictus 115.
Stampa Joſephus Maria 324.

T

Taliazucchius Hieronymus 323.
Taſſus Torquatus defenſus 207. in Latinum converſus 271.
Taſſonius Alex. 207.
Thereſia M. Auguſta 365.
Thierſius Jo. 30.
Thomaſius Card. 205. 237.
Thuanus Jacob. 165.
Tillemontius defenſus 215.
Tiraboſchius Hieronymus 357.
Traſamundi perſecutio 242.
Transformatorum Academia 336.
Tria Joan. Andreas 188.
Tricus Jo. Andr. 356.
Troncii Hiſtoria 125.
a Turre Philippus 203. 205.
Turrecremata Card. 237.

V

Vallisnerius Antonius 273.
Venetorum dominium in mare Adriat. 169.
Verrius Petrus 362.
Villa Angelus Theodorus 323.
Vitalianus Octavius 154.
Urbanus VIII. 152.
Urſeolus Petrus 248.
Vulpius Jo. Antonius ejus vita 270. Profeſſor creatur 272. ejus orationes philoſophicae 273. Lazarinio ſuccedit 277. Veteres Scriptores illuſtrat 279. recentiores edit 280. ejus commentaria in amatorios poetas 283. & ſeq. illius carmina 287. mors 293.
. . . . . Cajetanus 295.
. . . . . Jo. Baptiſta 295.

Z

Zaccagnius Laurentius 204.
Zaccharias Scholaſticus 275.
Zenus Apoſtolus 203. 217. & ſeq. 245.

VA1 1551221

148.
7.
86.